



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1720

urn:nbn:de:gbv:46:1-6356

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Tertiæ

FASCICULUS QUARTUS.



BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CC XX.

V I R O

*Celeberrimo ac summe
devenendo*

S A M U E L I
W E R E N F E L S I O ,

SS. Theologiæ Doctori &
N.T. in alma Basileensium
Academia Professori
famigeratissimo,

Societatis Anglicanæ de propagan-
da fide & regiæ Scientiarum
Berolinensis membro
dignissimo,

Doctrina, pietate ac præclare scriptis
immortale nomen in Ecclesia
Christiana adepto,

Sextum hunc atque decimum
BIBLIOTHECAE
hujus
FASCICULUM,

Venerabundi inscribunt
Favorem atque benevolentiam
ejus ambitiose expetentes,
& sigillatim

Ut hos quoque Conatus in com-
munis causæ emolumentum susceptos
probare, ornare, promovere
non dedignetur

submisisse rogantes

EDITORES.

Arti-

Articuli hunc fasciculum conficientes.

- I. *Tvonis* GAUKES Med. Doct. dissertatio physica de MIRACULIS more mathematico elaborata & Exemplis e S. Scr. illucidata & confirmata p. 581.
- II. *Gerhardi* OUTHOVII dissertatio in Matth. 24: 15. 16. in qua præsertim demonstratur, quod Βδέλυγμα ἐρημώσεως sit exercitus Romanus. p. 625.
- III. *Job. Christiani* BIEL de Judæis ex omni gente sub cælo Hierosolymis commorantibus, ad Act. II. 5. Observationes. p. 660.
- IV. LIBELLUS SUPPLEX Serenissimo Principi AUGUSTO II. Regi Poloniae &c. ut & congregatis in Comitibus A. 1718. Reip. Ordinibus a dissidentibus in Religione oblatus. p. 678.
- V. *Jo. Georg.* MICHAELIS exercitatio de sanctis cum Christo in vitam revocatis. p. 707.
- VI. *Frid. Ad.* LAMPE Triga quæstionum circa miraculum sanctorum resurgentium. p. 734.
- VII. *Henr.* HORCHII invisibilia Dei facta visibilia Lib. rec. p. 742.
- VIII. *Jac.* ELSNER, Borussi, observatio in locum Col. I. 24. p. 753.
- IX. *WILHELMI* Archiepiscopi CANT. epistola ad Reformatos in Palatinatu. p. 758.
- X. Memoria *Fr.* BURMANNI F. Theologi Ultrajectini. p. 763.



I.

YVONIS GAUKES,
Med. Doct.

Dissertatio Physica DE
MIRACULIS more mathematico
elaborata, & exemplis è sacra scri-
ptura depromptis illucidata,
& confirmata.

SUMMARIUM.

§. Principia proponuntur, è quibus hæc Dissertatio
deducitur. §. 2. Tres leges naturæ corporeæ univer-
sales, §. 3. & totidem particulares demonstrantur.
§. 4. Legis naturæ humanæ demonstratio habetur.
§. 5. Miracula esse opera extraordinaria & stupenda
præter leges naturæ corporeæ & humanæ per omni-
potentem Dei voluntatem immediate facta demon-
stratur. §. 6. Miracula macrocosmica præter leges
naturæ corporeæ in specie demonstrantur. §. 7. Mi-
Class. III. Fasc. IV. Pp racu-

racula microcosmica præter legem naturæ humanæ in specie demonstrantur. §. 8. Exempla miraculorum macrocosmicorum, §. 9. & microcosmicorum è sacra scriptura desumpta proferuntur. §. 10. Miraculosa apparitio & sanatio mulierculæ paralyticæ Bremensis confirmatur. §. 11. Duo vera miracula hodierna subjiciuntur.

PRINCIPIA.

§. I.

P*ostulata.*

1. Deus est ens perfectum.
2. Quod per se manifestum est, demonstratione non eget.

Assumptiones.

1. Mens nostra est actuosa vel cogitatio actualis.
2. Voluntati proprium est agere.
3. Materia cælestis ex igne æthereo globulisque æthereis conflata solem & planetas, adeoque & terram; quos in æquilibrio continet, undiquaque ambit.
4. Sol ex igne æthereo constans circa axem suum movetur

1. *Lemma.*

Quicquid vera sensuum experientia constat, id verum est.

Explic. Experientia sensuum vera est, quam clara intellectus perceptio comitatur. Nam aliquid in sensibus verum est, quatenus id in iis intellectu clare percipimus.

Demonstratio.

Quia Deus ens perfectum est (i. postul.) adeoque creator omnium & verax, ideo perceptiones, quas intellectui nostro increavit, veræ sunt. Unde patet, quicquid vera sensuum experientia constat, id verum esse. Q. E. D.

Scholion.

Cum dico Deum intellectui nostro perceptiones increasse veras, id ita intelligendum est, ut intellectui nostro facultatem res vere percipiendi increarit.

1. *Corollarium.*

Quoniam id, quod clare intellectu percipitur, rationi consentaneum est, ideo è lemmate præcedente sequitur, id quod rationi consentaneum est, esse pro vero habendum; & contra.

2. *Corollarium.*

Etiam è lemmate supraposito manat, quicquid in alicujus rei conceptu continetur, id ad ejus essentiam pertinere; & contra.

2. *Lemma.*

Circulus vel linea circularis ex infinitis lineolis rectis constat.

Demonstratio.

Si circulo inscribatur vel circumscribatur figura pentagona; deinde singuli arcus lineis rectis bisecentur sic, ut decagona fiat; ac si arcus rursus ita bisecentur, scilicet cogitatione, usque in infinitum, sic tandem ista figura pentagona evadet circulus vel linea circularis

laris, quæ proinde ex infinitis lineolis rectis
constat. Q. E. D.

3. Lemma.

Motus & Determinatio à se invicem differunt.

Demonstratio.

Quorum unum mutari potest, non mutato altero, ea à se invicem differunt, ut per se manifestum est; (2. postul.) Atqui determinatio potest mutari sic ut ipse motus non mutetur, teste vera sensum experientia (1. Lem.) Ergo motus & determinatio à se invicem differunt Q. E. D.

4. Lemma.

Quod apud nosmet experimur, id verum est.

Demonstratio.

Quia mens nostra est res actuosa vel cogitatio actualis (1. Assumpt.); & de natura cogitationis est, quod conscia sit eorum, quæ apud se experitur, ut per se manifestum est (2. postul.); ideo palam est, id quod mens nostra apud se experitur, esse verum. Q. E. D.

§. 2.

1. Theorema.

Leges naturæ à Deo corporibus particularibus sunt indita.

1. Explic. Lex est norma agendi.

2. Explic. Naturam intelligo corpoream; non humanam, in unione mentis cum corpore consistentem; nec incorpoream, quæ angelos complectitur.

Demonstratio.

Quia Deus est ens perfectum (1. postul.), ideo creator est omnium, adeoque corporum particularium. Et quoniam rationi consentaneum est (1. Coroll. 1. Lem.) creaturas creatorem suum secundum certas leges agendo colere, ideo non possumus non judicare, à Deo creatore suo corporibus particularibus certas leges esse inditas, secundum quas agant, eumque colant. Q. E. D.

Scholion.

Sed animadvertendum est, Deum corpora particularia creasse, at mediante materia vel extensione motuque ei indito: quod utrumque, quia ens perfectum est (1. postul.), adeoque creator omnium, immediate creavit.

2. *Theorema.*

Corpora proprie non secundum leges agunt.

Explic. proprie secundum leges agere, est facere, quæ leges jubent, cum earum scientia, voluntate & intrinseca potentia eis obediendi.

Demonstratio.

Quia in corporis conceptu continetur, quod sit otiosum (2. coroll. 1. Lem.), ideo corpus vel corpora cogitatione, id est, intellectu vel scientia, voluntate & intrinseca potentia carent, ut per se manifestum est, (2. Postul.), adeoque proprie loquendo secundum leges agere nequeunt. Q. E. D.

Corollarium.

Hinc sequitur, ubi corpora secundum leges agere dicuntur, id *improprie* esse accipiendum,

dum, hoc est, ea secundum leges se habere, vel se ita habere, uti leges ferunt.

3. *Theorema.*

Corpora improprie secundum leges agunt per voluntatem Divinam.

Demonstratio.

Quoniam Deus est ens perfectum, (1. *Postul.*), ideo omnia efficit. Et quia aliquid efficitur actione, ut per se manifestum est (2. *Postul.*); & voluntati proprium est agere (2. *assumpt.*); ideo palam est, Deum per voluntatem efficere, ut corpora improprie secundum leges agant. Q. E. D.

4. *Theorema.*

Corpora ab externa causa mutantur.

Demonstratio.

Cum in corporis conceptu contineatur, quod sit otiosum (2. *Coroll.* 1. *Lem.*); & id quod otiosum est, per se ipsum mutationem nullam subire queat, uti per se manifestum est, (2. *Postul.*); ideo liquet, corpus (vel corpora) ab alio corpore (vel aliis corporibus), atque ad eo à causa externa mutari. Q. E. D.

5. *Theorema.*

Leges naturæ sunt tres universales, & totidem particulares.

Explic. *Leges universales* appello, quæ omnia promiscue corpora spectant; & *particulares*, quæ certâ corpora.

Demonstratio.

Tres leges naturæ universales, & totidem par-

particulares dari, vera sensuum experientia
(1. Lem.) constat. Q. E. D.

6. Theorema.

Prima lex universalis ex immutabilitate Dei demonstratur.

Explic. Prima lex universalis est, unumquodque corpus in eodem semper statu manere, donec inde à causa externa deturbetur.

Demonstratio.

Quoniam Deus ens perfectum est, (1. Postul.), ideo omnium, adeoque status cujuscunque corporis conservator est. Et quia Deus utpote ens perfectum etiam immutabilis est, ideo statum cujuscunque corporis immutabilem conservat, donec vera sensuum experientia constat (1. Lem.), eum à causa externa mutari, (4. Theor.) Q. E. D.

Scholion.

Hæc autem lex etiam vera sensuum experientia (1. Lem.) confirmatur: nam, ex. gr. figura alicujus corporis tamdiu manet, donec corpore vel corporibus externis pereat. Et ita de cæteris.

7. Theorema.

Status corporis quintuplex est.

Quum vera sensuum experientia constet (1. Lem.) statum corporis esse motus, quietis, figuræ, magnitudinis & situs, ideo patet, statum corporis quintuplicem esse. Q. E. D.

8. Theorema.

Secunda lex universalis ex immutabilitate Dei demonstratur.

Explic. Secunda lex universalis est, unumquodque corpus seorsim spectatum secundum lineam rectam moveri; & ubi circulariter movetur, tendere, ut à centro sui motus secundum lineam rectam recedat.

Demonstratio.

Motus cujusque corporis incipiens est vel rectus vel circularis. Si circularis, quoniam linea circularis ex infinitis lineolis rectis constat (2. Lem.); & corpus secundum lineas movetur, ut vera sensuum experientia constat (1. Lem.); ideo palam est motum circula-rem incipientem etiam rectum esse (1. Postul.), adeoque omnia conservat, idcirco motum incipientem rectum conservat. Et quia Deus utpote ens perfectum etiam immutabilis est, ideo motum rectum incipientem immuta- tum conservat usque dum seorsim spectatur ut per se manifestum est, (2. Postul.). Unde patet unumquodque corpus seorsim specta- tum secundum lineam rectam moveri. Hocce erat *unum*, Q. E. D.

Porro, quoniam corpus è funda rotata se- cundum lineam rectam moveri nequit, nisi simul à centro sui motus recedat, ut per se manifestum est, (2. Postul.); & vera sensuum experientia constat (1. Lem.) id à funda im- pediri ne elabatur; idcirco corpus, ubi circu- lariter movetur, tendit, ut à centro sui mo- tus secundum lineam rectam (tangente[m] di- ctam) recedat. Hoc erat alterum, Q. E. D.

Scho.

Scholion.

Hanc legem etiam vera sensuum experientia (1. Lem.) confirmat : nam ubi corpus aliquod in funda per circulum rotatur , ex ea elapsum secundum lineam rectam moveri deprehenditur.

9. *Theorema.*

Pars prior tertiae legis universalis ex immutabilitate Dei demonstratur.

Explic. Tertia lex universalis, quod unum corpus alteri fortiori occurrens nihil amittat de suo motu ; sed solam motus determinationem. Sed alteri minus forti occurrens, id secum moveat ; & tantum amittat de suo motu, quantum in illud transfert.

Demonstratio.

Quum per primam legem universalem ex Dei immutabilitate demonstratam (6. Theor.) pateat , corpus aliquod in statu motus manere, donec inde à causa externa deturbetur ; & non deturbetur de statu motus à corpore fortiori, quia hoc magis resistit, quam ipsum *impellit*, ut per se manifestum est (2. *Postul.*) ; ideo nihil de motu suo amittit. Deinde quia motus & ejus determinatio à se invicem differunt (3. Lem.) ideo determinatio à corpore fortiori non mutari non potest, statu motus manente. Q. E. D.

Scholion.

Hæc prior pars tertiæ legis etiam vera sensuum experientia (1. Lem.) confirmatur, pro-

pterea quod unum corpus durum in aliud durum fortius projectum non à motu suo cessare, sed versus contrariam partem reflecti, adeoque aliter determinari comperitur.

10. *Theorema.*

Pars posterior tertiæ legis universalis ex immutabilitate Dei demonstratur.

Demonstratio.

Quia corpus unum alteri minus forti occurrens magis impellit, quam hoc minus forte resistit, uti per se manifestum est (2. *Postul.*); ideo hoc secum moveat necesse est. Et quoniam Deus ens perfectum est (1. *Postul.*) adeoque immutabilis, idcirco dum id secum movet, tantum sui motus amittit, quantum in illud transtert Q. E. D.

1. *Scholion.*

Nam si plus vel minus de suo motu amitteret, quam in illud transferret, Deus motus quantitatem vel imminueret, vel augetet, quod ejus immutabilitati adversaretur.

2. *Scholion.*

Pars posterior tertiæ legis etiam confirmatur vera sensuum experientia (1. *Lem.*) eo quod unum corpus durum in alterum minus forte, ut arenulas, vel flumen projectum, id secum movere, & cum omnem motum transfert, ad quietem venire cernitur.

3. *Scholion.*

Hucusque de tribus legibus nature universalibus: sequuntur tres leges particulares.

§. 3.

11. Theorema.

Prima lex particularis demonstratur.

1. *Explic.* Prima lex particularis est, corpora levia sursum moveri.

2. *Explic.* Levia vocamus, quæ à terræ centro recedunt.

Demonstratio.

Quoniam materia cœlestis à terra (quam undiquaque ambit (3. *Assumpt.*) motui ejus recto (8. *Theor.*) obstitente resilit, & sursum ab ejus centro recedit; ideo corpuscula, quæ ei innatant, ejus motum intestinum sequentia etiam ab ejus centro recedant oportet, ut per se manifestum est, (2. *Postul.*), quæ levia sunt, ac proinde sursum moventur. Q. E. D.

12. Theorema.

Secunda lex particularis demonstratur.

1. *Explic.* Secunda lex particularis est, corpora gravia deorsum moveri.

2. *Explic.* Gravia nominamus, quæ ad terræ centrum accedunt.

Demonstratio.

Cum materia cœlestis ita sursum à terræ centro recedit, (11. *Theor.*), alia corpora ejus motui intestino non obsequentia deorsum premat necesse est, ut per se manifestum est (2. *Postul.*) quæ ob hoc ipsum ad terræ centrum accedunt, gravia sunt, & idcirco deorsum moventur. Q. E. D.

13. Theorema.

Tertia lex particularis demonstratur.

Explic. Tertia lex particularis est coelos circulariter moveri.

Demonstratio.

Quoniam sol circa axem suum movetur (4. *Assumpt.*); ideo non potest non materiam coelestem eum undiquaque ambientem (3. *Assumpt.*), secum in orbem rapere, veluti per se manifestum est (2. *Postul.*) Q. E. D. à priori.

Aliter.

Quia planetae in æquilibrio materiae coelestis in orbem raptæ constituti sunt (3. *Assumpt.*), ii simul in orbem delati eam materiam vicissim in orbem rapiant necesse est, uti quoque per se manifestum est, (2. *Postul.*); Q. E. D. à posteriori.

Scholion.

Haecenus leges naturæ corporeæ persecuti sumus: Jam accingimur ad legem naturæ humanae, vel unionis mentis cum corpore.

§. 4.

14. Theorema.

Lex naturæ humanae demonstratur.

Explic. Legem naturæ humanae voco commercium mutuum, quo ad varium in corpore nostro motum variæ cogitationes in mente nostra fiunt; & ad varias in mente nostra volitiones varii corporis nostri motus voluntarii oriuntur.

Demonstratio.

Vera sensuum experientia (1. Lem.); & experientia apud nosmet (4. Lem. constat, legem naturæ humanæ dari. Q. E. D.

15. *Theorema.*

Lex naturæ humanæ homini à Deo est indita.

Demonstratio.

Quoniam Deus est ens perfectum (1. Postul.), ideo hominem creavit, id est, mentem & corpus arcte in hominem univit; eique simul legem naturæ humanæ indidit. Q. E. D.

Scholion.

Heic animadverti convenit, ut duplex genus legum reperitur, *naturæ corporeæ & humanæ*, ita & duplex genus *miraculorum* esse, sic ut alia sint *macrocosmica*, quæ in mundo adspectabili; & alia *microcosmica*, quæ in homine incidunt. Sed nos prius naturam miraculorum in genere proponemus; & tum ad hæc duo genera speciatim tractanda transibimus.

§. 5.

16. *Theorema.*

Miracula sunt opera extraordinaria.

Explic. Opera, quæ naturali naturæ cursu sunt, *ordinaria* dicuntur; *extraordinaria* contrario modo se habent.

Demonstratio.

Miracula sunt vel opera ordinaria, vel extraordinaria. Non ordinaria, eo quod talia opera sunt, quæ naturali naturæ cursu contingunt: qualia non esse miracula experientiâ sensuum

suum verâ (1. Lem.) & apud nosmet (4. Lem.) patet. Ergo extraordinaria. Q. E. D.

17. Theorema.

Miracula sunt opera præter leges supra dictas.

Explic. Præter leges agere est extra & supra leges agere, vel legibus non esse obstrictum hoc vel illo modo agere.

Demonstratio.

Miracula sunt opera vel secundum leges supra dictas, vel contra leges. Non primum, eo quod ejusmodi opera sunt ordinaria, qualia miracula non esse (16. Theor.) demonstravimus. Nec secundum, quandoquidem non decet ens summe perfectum contra leges à se sancitas agere, ut per se manifestum est, (2. Postul.). Ergo præter leges. Q. E. D.

1. Corollarium.

Quoniam miracula præter leges supradictas fiunt, adeoque quiddam maxime novum sunt, ideo nos in magnam admirationem rapiunt, imo stuporem excitant: quare miracula sunt quoque opera stupenda.

2. Corollarium.

Inde quoque sequitur legum supradictarum cognitionem necessariam esse ad sciendum, quænam opera verè sint miracula.

18. Theorema.

Miracula fiunt per Deum.

Demonstratio.

Quia rationi consentaneum est (1. Coroll. 1. Lem.) neminem nisi Deum authorem legum (15. Theor.) præter leges agere posse, ideo pa-

palam est miracula, si fiunt, fieri per Deum.
Aliter.

Quum Deo enti summo summa gloria competat, ut rationi consentaneum est, (1. *Coroll. 1. Lem.*); & miracula efficere summam gloriam adferat, ut per se manifestum est (2. *Postul.*) ideo patet per Deum miracula fieri.
 Q. E. D.

1. *Corollarium.*

Hinc fluit, eos qui miracula è *causis naturalibus nos latentibus* provenire contendunt, gloriam Deo debitam subtrahere; & argumentum non mediocriter validum pro authoritate Divinæ sacrae scripturae; & Deitate Salvatoris nostri tollere.

2. *Corollarium.*

Ex hoc corollario rursus promanat, cum alios rerum naturalium rudes causæ naturales lateant; alii in physicis perspicacissimi eas calleant; miraculum non certam ac immutabilem naturam habere: quandoquidem, quod uni miraculum est, id alteri miraculum esset nullum.

1. *Scholion.*

Sed opera naturalia, quæ ob causas naturales eveniunt, respectu eorum, qui eas ignorant, commodè *miranda* mihi vocanda videntur. Proinde *miranda* à *miraculis* distingui oportet.

2. *Scholion.*

Ut autem *mirandum* à *miraculo* recte distinguatur,

guamus, utriusque formam (naturam, essentiam) probe nosse oportet. Naturam miraculi ex hac Dissertatiuncula credo cognosci licet; & naturam mirandi è physica saniori. Sed quia multi hanc physicam non callent, ideo difficulter mirandum à miraculo distinguere sciunt.

3. *Corollarium.*

E superioribus etiam sequitur miraculum non recte definiri opus, quod præter ordinarium naturæ cursum fit, nisi simul addatur, & præter leges naturæ: alioquin, ex.gr. monstra, quæ præter ordinarium naturæ cursum formantur, miracula essent dicenda, quod tamen nemo arbitrator concedet.

19. *Theorema.*

Deus immediate miracula efficit.

Explic. Immediate miracula efficere, est sine causis naturalibus vel corporeis.

Demonstratio.

Deus efficit miracula vel mediate, vel immediate. Non prius, quandoquidem hoc modo fiunt opera ordinaria. Ergo posterius.
Q. E. D.

Corollarium.

E supra demonstratis jam mihi liquere videtur, miraculum esse opus extraordinarium (16. Theor.) & stupendum (1. Coroll. 17. Theor.) præter leges naturæ & humanæ (ibid) per Deum (18. Theor.) immediate (19. Theor.) factum: quæ iusta mihi definitio miraculi videtur.

20. Theorema.

Deus miracula efficit per omnipotentiam suam.

Demonstratio.

Quum per se manifestum sit (2. Postul.) ad miracula producenda omnipotentiam requiri; & Deus utpote ens perfectum (1. Postul.) omnipotens sit; ideo patet, Deum miracula producere per omnipotentiam suam. Q. E. D.

21. Theorema.

Deus miracula efficit per voluntatem suam.

Demonstratio.

Quoniam omnipotentia Dei conceptum formare non possumus, si eam à voluntate Dei abstrahimus, ut apud nosinet experimur (4. Lem.); ideo *ratione* tantum à voluntate differt, ac per consequens à parte rei idem quod voluntas est. Igitur cum Deus miracula efficiat per omnipotentiam suam, etiam eadem efficit per voluntatem suam. Q. E. D.

1. Corollarium.

Quia nemo omnipotentem voluntatem habet præter Deum, ideo sequitur, Deum solum miracula efficere posse.

2. Corollarium.

Et quoniam omnipotens Dei voluntas *causa* est, quæ immediate miracula producit (19. Theor.); ideo æque miracula a priori mihi demonstrari posse videntur ac opera naturalia quorum causas naturales, è quibus nascuntur cognoscimus.

22. Theorema.

Res creatæ miracula efficere non possunt.

Demonstratio.

Quum omnes res præter Deum existentes sint creatæ, adeoque limitatæ ac imperfectæ, ut per se manifestum est, (2. Postul.), ideo iis desunt infinitæ perfectiones, atque adeo & voluntas omnipotens, quam ad agendum præter leges naturæ corporeæ & humanæ requiri, rationi consentaneum est (1. Corol. 1. Lem.) Hinc in propatulo est, res creatas miracula efficere non posse. Q. E. D.

1. Corollarium.

Hinc sequitur, non angelos nec homines viribus propriis miracula efficere posse; verum quæ fecerint, Deum per ipsos ea fecisse.

2. Corollarium.

Hinc rursus fluit, Deum iis non vires impartitum esse, per quas miracula operati fuerint.

Scholion.

Sedulo namque cavendum est, ne putemus, eos per vires à Deo iis infusas miracula fecisse, propterea quod tum hac parte à Deo independentes fuissent.

23. Theorema.

Nota, qua cognoscimus Deum per bonum angelum, aut pium hominem miraculum efficere, est aliquod extraordinarium Divinum, quod operi adest.

Demonstratio.

Quia bonus angelus aut pius homo infinito modo gratior est Deo quam malus angelus, aut impius homo, ut rationi consentaneum est (1. Coroll. 1. Lem.); Deus utpote ens perfectum (1. Postul.) se digna facit; & Deo dignum est miraculo adesse aliquod extraordinarium Divinum, quod notet illud à se per bonum angelum aut pium hominem factum esse; ideo palam est, notam, qua cognoscimus, &c. Q. E. D.

1. Scholion.

Hoc autem extraordinarium Divinum esse potest, vel quod angelus aut homo miraculum quoddam fore prædicat; vel quod ipsum miraculi opus sit excellentius, & perfectius; vel quod indicet aut confirmet rem quandam Divinam.

2. Scholion.

Interim nihil prohibet, ipsi angelo vel homini miraculum tribui, quandoquidem ejus voluntas, quæ libera est, intercedit: quemadmodum motus voluntarii, quos tamen à Deo quippe omnes realitates efficiente effici constat, hominibus tribuuntur, quoniam libere volunt istos motus fieri.

3. Scholion.

Deum etiam per malos angelos hominesque impios, ut impuros spiritus, magos & falsos prophetas miracula effecisse, quantumvis raro, ut è recensione miraculorum infra patebit, luculenter Divina scriptura testatur.

Nec id ulli mirum videri debet , propterea quod Dei scopus in eo miraculo , quod mali malo scopo voluerunt , semper bonus est , ut pios homines explorare , impios punire , &c.

4. Scholion.

Natura miraculorum in genere exposita , transeundum est ad *miracula macrocosmica* & *microcosmica* : (*Schol. 15. Theor.*) primum de illis ; tum de his.

§. 6.

24. Theorema.

Miracula macrocosmica fiunt in corporibus particularibus.

Demonstratio.

Quum leges naturæ corporeæ corporibus particularibus sint inditæ (1. Theor.) ; & miracula opera sint præter leges (17. Theor.) ; ideo miracula hæc macrocosmica dicta , in corporibus particularibus fiunt. Q. E. D.

25. Theorema.

Miracula macrocosmica sunt sensibilia.

Demonstratio.

Quoniam corpora particularia sunt sensibilia , ut vera sensuum experientia constat (1. Lem.) ; & hujusmodi miracula in corporibus particularibus fiunt (24. Theor.) ; ideo patet , miracula macrocosmica esse sensibilia. Q. E. D.

Corollarium.

Hinc sequitur , quum phænomena sint effecta , quæ sub sensu cadunt , miracula macrocosmica esse quædam phænomena.

Theo.

26. Theorema.

Miracula macrocosmica sunt phaenomena composita.

Demonstratio.

Quia teste vera sensuum experientia (1. Lem.) in corporibus particularibus multa simul nobis occurrunt phaenomena; & miracula macrocosmica in corporibus particularibus fiunt (24. Theor.) ideo liquet, miracula macrocosmica esse phaenomena composita.
Q. E. D.

Scholion.

Heic animadvertendum est, eos miracula macrocosmica intelligere, qui contendunt, miracula esse *causis naturalibus nos latentibus* provenire (1. Coroll. 18 Theor.); ut &, qui miraculum finiunt *opus praeter ordinarium naturae cursum factum* (3. Coroll. 18. Theor.)

§. 7.

27. Theorema.

Miracula microcosmica fiunt in hominibus.

Demonstratio.

Cum lex naturae humanae (14. Theor.) hominibus sit indita (15. Theor.); & miracula sint opera praeter leges (17. Theor.); idcirco haec miracula, microcosmica vocata in hominibus fiunt, Q. E. D.

28. Theorema.

Miracula microcosmica sunt quadruplicis generis.

Demonstratio.

Quia in lege naturae humanae vario motu

corporeo præcedente, variæ cogitationes in mente nostra fiunt; & varia volitione in mente præcedente, varii in corpore nostro motus voluntarii (14. *Theor.*); ideo hanc legem perspicienti per se manifestum est (2. *Postul.*), miracula microcosmica quadruplici modo effici posse, adeoque quadruplicis generis esse. Q.E.D.

Scholion.

Siquidem *primum* genus est, cum motu præcedente, nulla cogitatio in mente oritur; *secundum*, cum motu corporeo nullo præcedente, aliqua cogitatio in mente nascitur. *Tertium*, cum volitione præcedente, alius motus corporis voluntarius evenit, quam quis voluit; & *quartum*, cum volitione præcedente nulla, motus corporis voluntarius contingit.

29. *Theorema.*

Tertium hujusmodi miraculorum genus est, cum volitione præcedente in mente, alius motus voluntarius, quam quis voluit, in corpore contingit.

Demonstratio.

Ubi volitio præcedit, aut alius motus corporis voluntarius, ac quis voluit, fit; aut nullus. *Prius* vera sensuum experientia constat (1. *Lem.*), ut infra ostendent exempla. At *posterioris* nullum, quantum ego scio, exemplum invenitur. Ergo *Tertium* hujusmodi miraculorum, &c. Q.E.D.

30. Theorema.

Duo miracula microcosmica sunt insensibilia, & totidem sensibilia.

Demonstratio.

Quoniam in duobus prioribus generibus hujusmodi miraculorum opus miraculosum in mente nostra reperitur ; ac in totidem posterioribus opus miraculosum in corpore nostro, (*Schol. 28. Theor.*) & mens nostra insensibilis est, at corpus nostrum sensibile, uti vera sensuum experientia constat, (*1. Lem.*) ideo palam est, duo miracula microcosmica esse insensibilia, & totidem sensibilia. Q. E. D.

1. Corollarium.

E supra demonstratis fluit (nempe, cum omnia miracula fiant in corporibus particularibus & hominibus) miracula non obtinere in rebus merè cogitantibus, ut angelicis, & mentibus à corpore suo separatis.

2. Corollarium.

Hinc rursus promanat, cum Deus intellectum hominum ditat notitia rerum spiritalium, ut videre est *Eph. 1. v. 17. 18. Job. 14. v. 26*; ac voluntatem eorum ab amore creaturarum avertit ad creatoris amorem, ut *Gal. 5. v. 22. 2. Corinth. 3. v. 18*; vel cum scientias & artes naturales mentibus nostris immediate impertit, ut *Gen. 2. v. 20. Exod. 35. v. 31. 1. Reg. 4. v. 29. &c.* hoc opus Divinum per excellentiam, non miraculum esse dicendum.

1. Scholion.

Opus, inquam, Divinum *per excellentiam*: nam omnia opera in tota universitate, utpote à Deo, à quo omnia omnibus modis dependent, facta, Divina dici merentur.

3. Corollarium.

Unde quoque manat, ubi cum Christi discipuli, tum maxime ipse Christus spiritus impuros eiecerunt, *Matth.* 8. v. 6. 28. 32. *Marc.* 1. v. 23. 25. item 5. v. 28. nec non 7. v. 25. 30. *Act.* 8. v. 7. &c. id opus etiam non fuisse miraculum, sed *Divinum per excellentiam* dictum.

4. Corollarium.

Sic etiam exinde sequitur, cum angeli mali volendo mentibus nostris malas cogitationes, Deo harum realitatem efficiente, ingerunt; & eas ad male agendum impellunt, ut factum videmus *1. Chronic.* 21. v. 1. *1. Reg.* 22. v. 20. &c. id opus quoque miraculum non esse vocandum, sed opus *diabolicum*.

2. Scholion.

Non æque angelos bonos, ac malos in mentes nostras ageres sacrâ scripturâ constat: unde conjici licet, nexum quendam hyperphysicum inter voluntatem malorum angelorum & mentem hominum à Deo esse factum, sic tamen ut ille nexus quam maxime à voluntate Divina pendeat. Quidni enim ille nexus tam positus sit, quam inter angelos, quo sua tantum voluntate cogitationes suas sibi mutuo notas reddunt? qui *sermo angelorum* mihi esse videtur.

3. Scho

3. Scholion.

Jam transire oportet ad exempla è Divinis literis tantum haurienda, primum *miraculorum macrocosmicorum*; & deinde *microcosmicorum*, quibus supra demonstratam dissertationem illustremus & confirmemus. Quod ad præcra miracula attinet: primo proponemus macrocosmica præter primam naturæ corporeæ legem universalem; & tum cætera præter reliquas leges subdemus.

§. 8.

1. Argumentum.

Exempla miraculorum macrocosmicorum præter primam naturæ corporeæ legem universalem reduci possunt ad quatuor classes, quarum prima continet ea miracula, in quibus *motus* sine causa externa transiit in quietem; *secunda*, in quibus contra *quies* in motum; *tertia* in quibus *motus* in motum; & denique *quarta*, in quibus *motus*, *quies*, *figura*, *magnitudo* & *situs* omnia simul fuerunt mutata. Quæ jam ordine persequemur.

Exempla primæ classis.

Exod. 14. v. 22. Aquæ maris rubri Israelitis per illud transeuntibus erant murus ad dextra eorum, & ad sinistra eorum.

Jos. 3. v. 16. Jordanis consistentes aquæ, quæ descendebant superne, consurgebant in acervum.

Matth. 8. v. 26. Jesus tempestatem sedavit.

Matth. 21. v. 19. ficus non nisi folia habens ilico Christo jubente exaruit.

Matth. 9. v. 20. 22. Mulier sanguinis profusio inveterato liberata est à Jesu.

Luc. 22. v. 50. Christus ablatam gladio auriculam & repositam sanavit.

Luc. 1. v. 20. Zacharias mutus factus est.

Dan. 6. v. 23. Deus per angelum suum leonum os occlusit, ut non læderent Danielelem.

Act. 9. v. 8. & 18. Quasi squamæ Sauli oculos contegentes ei cæcitatem attulerunt.

Act. 5. v. 10. Ananias & uxor ejus subito exanimati sunt.

Act. 12. v. 7. Angelus Domini supervenit, & lux splenduit in carcere. Et exciderunt ei catenæ ex manibus.

Exempla secunda classis.

Numer. 17. v. 8. Virga Aharonis floruit, producens enim germen emisit florem, & eduxit amygdala.

Matth. 3. v. 17. Vox adfuit è cœlis, dicens, hic est filius ille meus.

Job. 12. v. 28. Venit vox è cœlo. Et glorificavi, & rursus glorificabo.

Gen. 3. v. 1. Serpens verba protulit.

Numer. 22. v. 28. Asina Bilhami locuta est.

Numer. 16. v. 31. 32. Humus fissa est, & terra aperuit os suum, absorbens Korachum, Dathanem, & Abiramum cum suis.

Jos. 6. v. 28. Murus urbis Jerichuntis corruit.

Matth. 27. v. 51. Velum templi fissum est in duas partes à summo usque ad imum, & terra mota est, & petrae fissæ sunt.

Luc.

Luc. 24. v. 2. Mulieres saxam avolutum à monumento Christi invenerunt.

Matth. 28. v. 2. Terræ motus factus est magnus ; & Angelus avolvit saxum ab ostio.

2. *Reg.* 5. v. 14. Nahaman se in Jardenem septies immergendo lepra liberatus est.

Matth. 8. v. 3. Jesus lepram sanavit. Item *Luc.* 17. v. 12. 14.

Luc. 1. v. 64. item 7. v. 22. *Matth.* 9. v. 6. 28. 29. 30. ut & 12. v. 10. 13. nec non 15. v. 30. item 20. v. 30. 34. *Joh.* 9. v. 1. 6. 7. *Act.* 8. v. 7. muti, surdi, cæci, & paralytici sanati sunt.

1. *Scholion.*

A spiritibus animalibus vel succo nervoso è cerebro per nervos in omnia corporis nostri membra fluente dependet eorum motus & sensus. Hi in morbis proxime positus, teste vera in aliorum similibus vitiis sensuum experientia sublatis fuerunt, eo quod succus ille viscidissimus nervos obstruxit loquelæ inservientes in loquelæ amissione; auditorios in surditate; & membrorum paralyticorum in paralyfi. Et quia is succus obstruens in statu quietis fuit, at dum hæc vitia sanabantur, sine causa externa motu solutus, ideo patet, qui eorum sanatio miraculose facta fuerit.

2. *Scholion.*

Quod si omnium miraculorum rationes speciatim dare vellem, vel integrum librum scribere oporteret: quare ea duntaxat miracula.

cula , quæ præ cæteris explicatu necessaria ducō , explicare visum est.

Matth. 8. v. 13. Jesus sanat paralytin dolo-
rificam , adeoque imperfectam.

Act. 9. v. 18. Saulus visum recepit, quia qua-
si squamæ ab oculis ejus deciderunt.

1. Reg. 17. v. 21. 22. Puer viduæ cujusdam,
Elija super eum ter immenso revixit.

Luc. 7. v. 12. 14. Christus viduæ filio, qui jam
tum efferebatur, vitam reddidit.

Matth. 9. v. 25. Christus filiam Jairi ad vi-
tam revocavit.

Joh. 11. v. 36. 44. Christus Lazarum mor-
tuum jam olentem resuscitavit.

Matth. 28. v. 6. Christus quarto die ipse re-
surrexit.

Exempla tertiæ classis.

2. Reg. 20. v. 11. Umbra in solaris Achazi
decem gradibus , quibus descenderat, redu-
cta est.

Exod. 8. v. 6. Aharon admoto baculo fecit,
ut ranæ ascenderent, quæ operuerunt terram
Ægyptiorum.

Exod. 8. v. 7. Magi similiter fecerunt.

Exod. 9. v. 18. seq. Mosche baculo fecit so-
nos & grandinem valde gravem , igneque
permixtum.

Exod. 10. v. 12. & sq. Mosche baculo per
Eurum excitatum adduxit locustas numerosas
super universam terram Ægyptiorum.

Exod. 10. v. 19. Ventus occidentalis istas lo-
cistas exportavit in mare Algosum. Ex-

Exod. 16. v. 13. collat: cum *Numer.* 11. v. 31.
 Ventus attulit coturnices castra legentes.

Exod. 19. v. 16. Erant soni, & fulgura, & nubes densæ super illum montem (Sinai.) Sonusque tubæ valde vehemens.

Exod. 19. v. 18. Mons autem Sinai fumabat.

Levit. 9. v. 24. Exiens ignis à conspectu Jehovæ consumpsit in illo altari holocaustum ipsum.

Levit. 10. v. 2. Ignis exiens à conspectu Jehovæ exanimavit filios Aharonis Nadab & Abihu.

1. Reg. 18. v. 38. Ignis Jehovæ decidens consumpsit præfectum cum quinquaginta militibus.

Judic. 6. v. 37. & seq. Ros in vellere Gidhonis erat, sic citate in tota terra existente; & contra.

Luc. 8. v. 33. Dæmonia ex homine quodam egressa ingressa sunt in porcos, quorum gregem præcipitaverunt in lacum.

I. Scholion.

Heic scire convenit, motum, quem corpora vel quiescentia, vel tardius mota in exemplis secundæ & tertix classis receperunt, aliunde ab aliis corporibus in hæc corpora esse determinatum, non autem noviter à Deo, creatum, quia tum Deus quantitatem motus auxisset, quod ejus immutabilitati repugnat.

Exempla quartæ classis.

Gen. 2. v. 7. 22, Jehova Deus è pulvere ter-

ræ Adami corpus finxit; & ex Adami costa
Evæ corpus extruxit.

Gen. 19. v. 26. Uxor Loti salis statua est
facta.

Exod. 4. v. 34. Baculus Moschis conversus
est in serpentem, in baculum deinde rever-
tentem.

Exod. 7. v. 13. Aharonis baculus conversus
est in draconem.

Exod. 7. v. 15. Magi baculos suos etiam in
dracones converterunt.

Exod. 7. v. 23. Aquæ, quæ erant in unoquo-
que rivo ab Aharone, baculo adhibito, in san-
guinem conversæ sunt.

Exod. 7. v. 25. Magi incantationibus suis
idem fecerunt.

Exod. 8. v. 16. Aharon baculo admoto pul-
verem terræ in pediculos mutavit.

Job. 2. v. 9. Christus aquam in vinum mu-
tavit in nuptiis in Cana Galilæa.

2. Reg. 5. v. 27. Gechasus servus Elisecha-
chi lepra correptus est.

2. Reg. 24. v. 13. 14. Pestis triduana Davi-
dis populo accidit.

Exod. 9. v. 3. Deus pestem immisit in Ægy-
ptiorum pecus.

Job. 2. v. 7. Jobus à Satana percussus est ul-
cere pessimo à planta pedis usque ad verticem
ejus.

Exod. 16. v. 15. Manna in superficie deserti
reperta est.

Matth.

Matth. 17. v. 2. Christus transformatus est coram Petro, Jacobo & Johanne, quos secum subduxerat in montem sublimem & fulsit facies eius ut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba ut lux.

Scholion.

In omnibus hisce exemplis priorum corporum particulae in alias sunt mutatae, e quibus posteriora corpora constabant; non autem abierunt, dum interim in earum locum aliae revertebantur posteriora corpora constituentes, propterea quod hoc Dei simplicitati, adeoque simplici ejus actioni repugnat.

2. *Argumentum.*

Jam ordine sequuntur exempla miraculorum macrocosmicorum praeter secundam naturae corporeae legem universalem.

Dan. 3. Juvenes in fornacem Babylonicam projecti non igne cremati sunt.

Exod. 3. v. 3. Rubus ardens non consumptus est.

1. *Scholion.*

Nimirum particulae ignis non recta linea impegerunt in juvenes & rubum, sed motu circulari inde ab iis determinatae sunt: quare factum est, ut igne non fuerint consumpti.

2. *Scholion.*

Juvenes autem igne non fuerunt consumpti ex eo, quod solidissimi facti ignem poris suis

luis non exciperent : nam tum in fornace non potuissent ambulare, v. 25. Neque ex eo quoque, quod eorum pori adeo ampliati fuerint, ut ignis per eos libere transfret, quandoquidem extat v. 27. odorem ignis eos non pervasisset. Et quia Deus ens simplicissimum simplicissimo modo agit, ideo eodem modo quo juvenes, etiam, rubum ardentem à combustione defendit.

Luc. 23. v. 45. Sol tempore mortis Christi obtenebratus est.

Matth. 27. v. 45. Tenebræ obortæ sunt.

3. *Scholion.*

Videlicet, solis ex igne æthereo constantis, & circa axem suum moti particulæ a centro secundum lineas rectas recedere solitæ, inde à globulis cœlestibus circumpositis motu circulari versus ipsum solem reversæ sunt. Hinc globuli non pressi cum oculos nostros non afficerent, & sol obtenebratus apparuit; & tenebræ fuerunt obortæ.

3. *Argumentum.*

Nunc exempla miraculorum macrocosmicorum præter primam simul & secundam legem naturæ corporeæ universalem proponemus.

Exod. 9. v. 8. & seq. Mosche & Aharon sumptulerunt pugnos plenos favilla fornacis, quam sparserunt cœlum versus, quæ in pulvisculum dispersa pervenit ad homines & jumenta, in quibus ulcera produxit.

Exod. 10. v. 21. Tenebræ factæ sunt super ter-

terram Ægyptiorum, ut quivis eas palparet.
 2. Reg. 4. v. 2. & seq. Lecythus olei cujusdam mulieris suffecit multis vasis oleo replendis.

1. Reg. 17. v. 16. Viduæ cujusdam cadi farina non consumebatur, & ampullæ ejus oleum non deficiebat.

Judic. 13. v. 20. Flamma erupit ex rupe.

Judic. 15. v. 19. prodiit aqua è cavo fisso.

Matth. 1. v. 18. In corpore Mariæ corpusculum Christi fuit *ex eo elaboratum*.

Luc. 5. v. 6. Magna multitudo piscium confluit in rete.

Joh. 6. Jesus quinque panibus hordeaceis cum duobus pisciculis explevit quinquies mille homines sic, ut remanserint duodecim cophini fragmentorum è quinque panibus hordeaceis.

Matth. 14. Simile exemplum extat.

Ezech. 37. v. 3. & sq. Mortuorum ossa, additis nervis obducta sunt carne & cute, & spiritu reddito vivi homines evaserunt.

Matth. 27. v. 52. Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

1. Corinth. 15. v. 42. Novissimo die resuscitabuntur homines, qui maris aquis perierunt; qui à feris & anthropophagis discerpti ac devorati sunt; vel qui ante multa secula mortui.

Gen. 18. Ezech. 9. Angeli apparuerunt instar aliorum hominum, loquentes, edentes, bibentes.

Dan. 10. v. 5. Daniel vidit virum indutum vestibus lineis, cujus lumbi accincti erant auro Uphazi.

Matth. 28. v. 3. Erat autem visus ejus, sc. angeli, ut fulgur, & vestimentum ejus album sicut nix. Is locutus est. v. 5.

Luc. 24. v. 4. Duo viri induti vestibus fulgurantibus supervenerunt mulieribus circa monumentum Christi hæsitantibus; v. 5. qui dixerunt eis, &c.

Act. 1. v. 10. Ecce viri duo adstiterunt illis albo vestitu. v. 11. qui dixerunt, &c.

Scholion.

Præter primam simul & secundam legem particulæ, quæ supradicta phænomena miraculosa produxerunt, ex aliis corporibus ortum duxerunt, & è statu suo motus vel quietis, non secundum lineas rectas, sed ob interposita alia corpora varie curvas advolarunt. Etenim istæ particulæ non de novo creatæ sunt à Deo, quandoquidem tum materiæ quantitatem auxisset, quod ejus immutabilitati adversatur.

4. *Argumentum.*

Jam exempla miraculorum macrocosmicorum præter tertiam legem naturæ corporeæ universalem subjiciemus: Sunt autem præter priorem hujus legis partem:

Act. 1. v. 9. Nubes corpus Christi fortius in cælum subduxit.

2. Reg. 2. v. 8. Elija toga sua convoluta a-
 quas

quas Jardenis percussit, quæ divisæ huc & il-
luc cedebant.

2. Reg. 2. v. 14. Idem quoque Elisa fecit.

Job. 18. v. 6. Ad vocem Christi cohors cum
ministris sacerdotum ac Phariseorum cecide-
runt humi.

Præter posteriorem hujus legis partem:

Dan. 3. Ignis juvenes in fornacem Babyloni-
cam projectos non cremavit.

Præter utramque hujus legis partem:

Jon. 1. v. 17. Jonas in stomacho piscis ma-
gni tribus diebus, totidemque noctibus vi-
xit.

1. Scholion.

Nimirum, præter priorem hujus legis par-
tem aër antea pulmonibus receptus, & ne ex
lis exeat impeditus, atque in sanguinem ve-
niens, eum secum rapuit, & circumire fecit.
Et præter posteriorem partem fermentum
ventriculi piscis corpus Jonæ minus forte non
dissolvit, nec secum duxit.

2. Scholion.

Siquidem tam exiguam portionem aëris de-
biliorem fuisse universa sanguinis Jonæ massa
per se manifestum esse credo. Et fermentum
ventriculi piscis fortius fuisse ipso Jonæ
corpore, patet eo, quod alii pisces magni
homines & animalia, vel certe eorum mem-
bra devorata concoxisse deprehensi sunt.

Exod. 34. v. 28. Mosche; & Matth. 4. v. 2.
Jesus quadraginta dies & noctes jejunarunt.

Rr 2

3. Scholion

3. *Scholion.*

Nempe, præter priorem hujus legis partem vapores fortiores ab aere debiliore, cui avolantes occurrerunt, repercussi sunt. Et præter posteriorem partem succi fortiores istorum corporum partes solidas (vel vasa) debiliores, quibus circumeuntes continebantur, & occurrerunt, non abraferunt, nec secum abduxerunt.

4. *Scholion.*

Nam vapores fortiores esse aere corpus nostrum circumlambente ex eo manifestum est, quod exhalati aere excipiuntur; & non, dum exhalantur, ab eo in corpus repelluntur. Ac succos etiam fortiores esse partibus solidis vel vasis, quibus continentur, docet continua horum abrasio, & si non cibi sumantur, extenuatio.

Corollarium.

Hinc sequitur ratio, quâ homo in altera vita vivere in æternum queat.

5. *Argumentum.*

Jam nunc transimus ad exempla miraculorum macrocosmicorum præter leges naturæ corporeæ particulares,

Primam.

Act. 1. v. 9. Nubes, quæ levis est, descendit, Christum in cœlum sublatura.

Secundam.

Marc. 16. v. 19. Dominus sursum receptus est in cœlum.

Gen. 5. v. 24. Deus assumpsit Chanocum.

2. Reg. 2. v. 11. Elija turbine in cœlum ascendit.

Gen. 7. v. 11. Omnes fontes abyssi magnæ se diffuderunt.

2. Reg. 6. v. 6. Enatavit ferrum, quod descenderat.

Matth. 14. v. 26. Christus ambulavit super aquas maris.

Scholion.

Christus autem mihi super aquas ambulasse videtur, quoniam nempe supra eas elevatus fuit. Non, quia aquæ velut in glaciem conversæ fuerunt; nec quia Christi corpus levissimum fuit factum, quandoquidem tum tota aquarum & corporis Domini natura primum mutata fuisset; & deinde restituta: quæ duplex actio simplicitati Dei, ejusque simplici actioni contraria est.

Tertiam.

Jos. 10. v. 13. Sol substitit, & luna stetit.

1. Scholion.

Videlicet, sol substitit, præter hanc legem, quandoquidem terra non circa axem suum convertebatur, eo quod vortex, qui terram ambit, & ab occasu in ortum movetur, consistebat. Hinc etiam factum est, ut luna quæ per hunc vorticem circa terram defertur, simul necessario staret, sic ut cum sole versus occasum non moveri apparerent.

2. Scholion

Imo quum vortex terræ nostræ consistet,

ret, vortex magnus, in cujus centro sol locum habet, & qui etiam ab occasu in ortum circa solem movetur, simul consistere oportuit. Quam ob rem luna quoque cum terra ab occasu versus ortum interim revera non promovebantur, adeoque & hac ratione luna stabat.

3. Scholion.

Adhæc quoniam omnes vortices alii alios, veluti horologii rotulæ aliæ alias, in maximo mundi horologio in orbem agunt; ideo infiniti stellarum fixarum vortices eâdem operâ constiterunt. Unde liquet hoc miraculum, infinito modo excellentius fuisse, quam aliquis primo obtutu judicavit.

§. 9.

6. Argumentum.

Tandem accingimur ad miraculorum microcosmicorum exempla in medium proferenda, quorum quatuor genera (Schol. 28. Theor) indicavimus.

Primum genus respicit.

(1) Visum.

Luc. 24. v. 16. Duo euntes in vicum quendam Emauntem dictum Jesum, quem videbant, tamen non agnoverunt.

(2) Tactum.

Dan. 3. Juvenes in fornace Babylonica nullum sensisse dolorem extra dubium mihi videtur.

Secundum genus.

(1) *Visum.*

2. Reg. 6. v. 17. Puer Elischachi vidit montem plenum equis & curribus igneis.

Ezech. 40. v. 3. Propheta vidit virum, cujus aspectus erat similis aspectui chalybeo, cum funiculo lineo in manu sua, & calamo mensuræ, qui stabat in porta.

Act. 10. v. 10. & sq. Paulo visio quædam exhibitæ est.

(2) *Auditum.*

2. Reg. 6. Elischach propheta regi Israelis verba, quæ rex Syrorum in conclavi cubilis sui loquitur, audit & indicat.

(3) *Visum & auditum.*

Act. 9. v. 10. 11. Dominus per visionem dixit ad Ananiam, ut surgeret, &c.

Act. 22. v. 18. Paulus extra se raptus vidit Dominum sibi dicentem, festina, &c.

(4) *Imaginationem.*

Matth. 4. v. 8. Satanas Christo imaginationem de omnibus regnis ingessit.

(5) *Memoriam.*

Act. 2. v. 4. Christi discipuli repleti sunt Spiritu sancto, cœperuntque loqui aliis linguis (quas memoriæ tribuendas censeo) prout Spiritus ille dabat eis effari.

(6) *Somnia.*

Matth. 1. v. 20. Angelus Domini in somnio apparuit Josepho, dicens, &c.

Gen. 37. v. 6. 7. Ubi somnium Josephi describitur.

Tertium genus.

Num. 24. v. 9. 10. Ubi Bileamus à Balako rege Moabitarum accersitus, ut Israeli malediceret, ei contra benedixit.

Quartum genus.

Luc. 4. v. 33. & seq. aliquis spiritum impurum habens magna voce exclamavit, dicens : &c.

Luc. 8. v. 28. 29. Alius spiritus impurus legio dictus aliquem, diruptis vinculis, quibus custodiebatur, agitavit in deserta.

Luc. 9. v. 39. 42. Alius spiritus impurus filium cujusdam unigenitum apprehendit, clamavit, spumantem discerpit, conteruit, & allisit.

§. 10.

Dissertatione nostra sic ad colophonem perducta, non difficile foret amplius ex ea ostendere mirabilem *apparitionem*, mulierisque paralyticæ Bremensis *sanationem* vere miraculosam fuisse. Cui tamen rei supersedere libet, quandoquidem quivis vel mediocriter in philosophicis & medicis versatus omnia utriusque phænomena ex ista dissertatione facili negotio deducere poterit; ego temporis penuria premor & brevitate magis quam prolixitate delector.

Necessarium tamen existimo tribus duntaxat verbis indicare, *apparitionis miraculosæ fundamentum Schol. 3. Argum.* positum esse; & *sanationis 1. Schol. 1. Argum.*

Et quid obstat, quo minus illa apparitio atque sanatio fuerit miraculosa? An Deus ullibi in sacris literis prædixit, se post tempora veteris & novi testamenti miracula editurum nulla? Vel num omnipotentia Divinae fons inexhaustus adeo tum temporis exhaustus fuit, ut inde deinceps miraculorum rivi non amplius promanare possent? Ast mihi videor objici, sanationes quas Dominus Jesus ejusque discipuli præstiterunt miraculose, fuisse longe promptiores: nam Jesus *Matth. 9. v. 6.* paralyticum sanaturus modo dixit, surge, attolle tuum lectum, & abi domum tuam. Atque Petrus *Act. 3. v. 6. 7.* dixit quoque claudo ab utero matris suæ, surge & ambula: ac illico ejus plantæ malleolique sunt solidati. Sed respondeo, tempore Christi maximè necessarias fuisse morborum momentaneas curationes, quo sic ejus Divinitas clarius patesceret, & doctrina confirmaretur Divina: quod hisce temporibus non opus est factò. Ut omittam *gradus non variare speciem*: nam quemadmodum pumilio non minus est homo quam gigas; ita miraculosa apparitio & sanatio mulierculæ Bremensis non minus est miraculum, quam quæ Christus ejusque discipuli fecerunt.

§. 11.

Tandem ut iis, qui hodiernis temporibus etiamnum vera miracula fieri negant, omnem dubitandi rationem eximam, duo duntaxat

Rr 5

sub-

subicere visum est, è quibus unum mihi ipsi;
& alterum duobus aliis in civitate nostra no-
tissimis usu venit.

Accidit aliquando, ut cuidam viro, uti aje-
bat, multum argenti clam auferretur. Ad
furem inveniendum aliquot versus è novo te-
stamento recitabat: quo loco sileo, ne cui
occasionem verbo Divino abutendi præbeam.
Tum ibidem loci anteriorem clavis partem in
libro concludebat, & posteriorem indici di-
gito partim suo, & partim alterius ho-
minis ita utrinque imponebat, ut liber
in æquilibrio penderet. Hoc facto, omni-
um, qui & non suspecti erant, & qui suspe-
ctus, nomina successive pronuntiabat, hac
nempe ratione, Petrus fecit, Petrus non fe-
cit, Johannes fecit, Johannes non fecit, &c.
Ubi nomen suspecti edebat, vertebatur liber si-
ne ulla causa evidente sic, ut clavis cum ap-
penso libro à digitis, nisi obstitissent, di-
lapsa fuisset. Ille vir admiratione percussus
mihi totum negotium denarravit. Ego vero
hoc experimentum ridens judicabam librum
aut aliquo vento, aut ob convexam & poli-
tam clavis superficiem, aut tremore manuum,
aut alia causa naturali fuisse versum. At illo
contra firmiter asseverante non causam hy-
perphysicam id non effecisse, ipse idem expe-
rimentum cum magna circumspeditione & at-
tentione quinquies ni fallor institui; idem
quod mihi asseveravit usu comperi; & insu-
per

per didici, (1.) argentum in cavea ædium hominis suspecti latere; & quidem (2.) quia plures unâ cavæ erant, in antica; (3.) in antica parte non posteriore, nec media, sed anteriore; & tandem (4.) non in anterioris uno aut altero angulo, sed in medio, ubi acervus ruderum cernebatur, quibus argentum sepultum suspicabamur. At miseri fallebamur: nam ruderibus remotis aliquid è terra effodiebamus, sed nihil minus quam argentum reperiebamus. Hoc experimentum postea *Beckero* doctissimo, occasione data, narravi, qui se ex hac difficultate expedire haud noverat. Præcipuum ejus effugium erat particulas quasdam è terra ascendisse, quæ per poros libri non liberum transitum invenientes in eum impingebant, movebantque, fere similiter ac particulas striatas per poros magnetis trajectas, circuitu facto, in ferrum impingere, & magnetem versus movere novimus. At, ut alias difficultates præteream, interroganti, cur tum duntaxat, cum nomen suspecti pronunciabatur, liber moveretur, ad incitas se redactum sentiebat.

Sed antequam ad alterum miraculum trans-eam, palam profiteri non erubesco, me hujus facti poenituisse, & flevisse abusum Divinæ scripturæ, quem, quantumvis animo hujus rei admirabilis veritatem cognoscendi, commiseram.

Alterum autem miraculum ejusmodi erat.

Pa-

Pater & mater cujusdam S. S. Theologiae candidati, cui nomen *Hendricus Borsumannus*, in civitate nostra satis notus, decumbebant. In quo aegrotantes jacebant conclavi, stabant tres cyathi vitrei, quorum medius reliquos duos magnitudine præcellebat, in abaco de pariete suspenso. Jam accidit, ut uxor *Celeb. Viri G. Outhovii*, (cujus diligens eruditio in hisce quoque fasciculis hinc inde conspicua est,) & supradictus S. S. Theologiae candidatus doctissimus simul viderent duorum cyathorum margines utrinque in majorem medium suapte sponte, vel causa evidente nulla, impelli tanto impetu, ut sonus à duobus decumbentibus audiretur satis clare sic, ut alter eorum admiratione commotus interrogaret, quid hoc esset. Nec interim dum hæc impulsio fiebat, urina, quam duo cyathi continebant, effundebatur; nec ipsi cyathi de abaco decidebant, quorum utrumque si causa naturalis externa adfuisset, evenisset oportuit.

Si quis atheus mihi hæc duo miracula nar-
ranti fidem habeat, eaque ut verissima, veluti
sunt, admittat, non posset non solida ra-
tiocinatione cogi ut verum Deum omnipo-
tentem credat, qui & librum cum clave in
miraculo priori; & cyathos duos in postero-
ri, præter primam legem naturæ universa-
lem è statu quietis ad motus omnipotentem
sua voluntate deduxerit, & impediverit ne
urina

urina ex cyathis effunderetur , ipsique cyathi
de abaco deciderent.



II.

GERHARDI OUTHOVII,

Dissertatio

in Matth. 24: 15. 16.

In qua praesertim demonstratur

quod Βδέλυγμα ἐρημώσεως,

ἔσως ἐν τῷ πρῶτῳ ἀγίῳ, ὅπερ εἰ δέῃ, sit γῆρῳ,

ⲙⲙⲱ Dan. 12: 11.

seu

Exercitus Romanus vastans

Terram Sanctam.

ARGUMENTUM.

Occasio hujus Dissertationis ex Clar. Hombergi expo-
sitione, cujus Parerga Sacra Laudantur. Locus Da-
nielis 12, 11. proponitur, ⲙⲙⲱ γῆρῳ abomina-
tio vastans. Varia interpretatio Gr. Interpre-
tata locorum Dan. 12, 11. & 9: 27. Quid sit γῆρῳ,
ἐνδελεχισμὸν. Sequutus est Christus versionem ἰωὴν δ.
Quid sit ⲙⲙⲱ γῆρῳ vel βδέλυγμα ἐρημώσεως:
non profanatio templi, ut Beza & Calvinus per-
peram

peram: Non idolum aliquod profanans templum, ut Jesuita Possevinus male, cujus *παρόραμα* notatur, neque *εἶδωλον Διὸς Ολυμπίας*, quod Antiochus in templo collocaverat: Suidæ error notatur: nec Tiberii vexillum in pinnaculo templi, aut imperatoris statua, quam non intulit Pilatus in templum, ut Suidas perperam: nec Caligulæ statua, quæ nunquam erecta est in templo. Porro ostenditur, *γῆρψ* hic non esse explicandum de aliquo idolo; sed de omni re detestanda, abominanda, ut Etymon quoque docet, a *γῆρ* est germanicum *kotzen*, lat. *vomere*. Quid sit *βδέλυγμα*, unde derivetur, a *βδελύσσω*. At *βδέλλα*, sanguifuga hircus vel hircus, a *βδέλλω*, *exsugo*. Locus Theocriti illustratur ex allato Scholiaste. Atticis *βδάλλειν* pro *ἀμελγειν*. *βδελύγματα* sunt omnia abominanda. Locus Luc. 16, 15. illustratur, Pharisei quomodo *βδελύγματα*, coram Deo, sic falsi dii. Phrasis græca *βδέλυγμα ἐρημώσεως* ab Hebraismo purgatur. Hombergius allegatur, qui male de ipsa desolatione horrenda hoc explicat. Distinguendum est signum desolationis ab ipsa desolatione. Sensus hortationis Christi, ut fugerent ad montes, non cum urbs vastaretur; sed cum viderent signum abominandum vastationis, tunc suadet festinationem fugæ. Ergo *βδέλυγμα ἐρημώσεως* perperam explicat Possivinus de signis Romanis muris templi impositis; multo minus potest intelligi de turma factiosorum Ze-lotarum, ut Lud. Capellus & alii insulse dixerunt. Sed exponi debet de Exercitu Romano, qui vocatur *βδέλυγμα*, vel abominandus, ob impuras copias, & cultum idolorum. Quid sunt Numina legionum, Divorum statuarum, aquilarum, signa exercitus culta a militibus; at detestanda Judæis. Exercitus Romanus vastationem minans, quomodo concordantia fit Mat-

ⲛⲁⲓ & Lucæ cap. 21, 20. illustratio locutionis
 κυκλεμένην pro κυκλῆσθαι. Piscator, Interpretes
 Belgæ, Grotius de exercitu Romano quoque ex-
 ponentes laudantur. Dan. 9, 27. illustratur. Phra-
 sis ἕως ἐν τόπῳ ἁγίῳ, & ὅπερ εἶδῃ, referri debet
 ad βδέλυγμα, & ad totam terram sanctam: frustra
 Hombergius hic difficultates Grammaticæ movet,
 quia nullæ sunt. Locus Pausaniæ non rectè hic a Cel.
 Viro adfertur. ἕως non est nominativus, sed ac-
 cusativus neutr. gen. Ergo nulla anomalia. Terra
 Judæa quomodo sancta, non decebat pollui. Deni-
 que παρῆνθεσις ad Evangelistam pertinet.

Matth. 24: 15. 16. ὅταν ἐν ἴδητε τὸ βδέλυγμα
 τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τῷ προφήτῃ, ἕως
 ἐν τόπῳ ἁγίῳ. (ὁ ἀναγινώσκων νοεῖτω.)

Τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη,

Cum videritis ergo abominationem desolationis,
 stantem in loco sancto, prædictam a Daniele Pro-
 pheta, (qui legit animadvertat,)

Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.

Incidi in hunc locum, cum legebam ex-
 positionem Viri doctissimi Joh. Frid.
 Hombergh, Juris in Acad. Marburg.
 Professoris meritissimi, græcarumque li-
 terarum peritia clarissimi, cujus *Parerga*
Sacra, seu *observationes quasdam ad Nov. Test.* re-
 vera æstimo, laudo, & magni facio: hoc
 tamen in loco ipsius explicationi aut senten-
 tiæ assentiri non possum. Etiam si non nego,
 Christum respexisse quoque ad Locum Dan.

9, 27. tamen non dubito, quin Sospitator no-
 ster respexerit ad Locum Danielis cap. 12, 11.
 ubi Deus, loquens de ultima vastatione, cu-
 jus hic meminit Christus, ita Prophetæ di-
 cebat, **וְיָמֵי הַחֹסֶה הַהֵמָּה וְלֹתֵי יָמֵי שָׁמַיִם יָמִים**
וְיָמֵי אֲדָמָה מֵאֵת הַיָּמִים Et a tempore, quo ab-
 latum fuerit iuge (sacrificium) & posita fuerit
 abominatio obstupefaciens, vel desolans, erunt dies
 mille ducenti & nonaginta. Notum est, quod
יָמֵי sit masc. gen. uti & **יָמֵי** part. benoni
 in Kal, a **יָמַם** desolare, obstupescere, in pihel
 ex forma poel **יָמַם** desolavit ad stuporem, ut
 Guil. Robertson annotat in Thesauro Ling.
 Sanct. ad hoc verbum: adeo ut verti possit,
 abominatio obstupefaciens, vel desolans, devastans,
 vastatrix, vel abominatio devastans ad stuporem.
 Hinc Schindlerus in Lexico pentaglotto hæc
 verba **יָמֵי יָמֵי לֹתֵי** vertit, & ad dan-
 dum abominationem vastantem, active, pro quo ha-
 betur Dan. 9, 27. & super ala abominationum
 devastante **יָמֵי**, ubi LXX. habent, καὶ ἐπὶ τὸ
 ἱερόν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. Et hoc loco In-
 terpretes illi Græci dicunt, secundum exem-
 plar Vaticanum, καὶ ἀπὸ καιρῶ παρακλάζεις τῆ
 ἐνδελεχισμῶ, καὶ δοθήσεται τὸ βδέλυγμα ἐρημώ-
 σεως, ubi, ut hoc in transitu notem, **יָמֵי** ju-
 ge scil. sacrificium vertunt per ἐνδελεχισμὸν, pro-
 prie assiduitatem, frequentationem, vel continua-
 tionem, ut Syr. 7: 14. ab ἐνδελεχίς, pro ἐντελε-
 χίς, perfectus, assiduus, ex ἐν & τέλει finis, perfectio.
 At in Alex. eod. legitur, ἀφ' ἧ ἀνάση ἡ θυσία

διαπαντός καὶ ἐτοιμάσθη δοθῆναι τὸ βδέλυγμα τῆς
 ἐρημώσεως, de qua versione alibi fusius dicam.
 Sequutus videtur Christus in hoc loco Mat-
 thæi, versionem L X X. interpretum,
 quando in allegando propheta Daniele di-
 cit, ὅταν ἐν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως.
 ⲘⲚ.

Quæritur ergo primò, quid sit ⲘⲚ γῆρⲱ
 apud Danielelem, & quid βδέλυγμα ἐρημώσεως
 hic apud Matthæum. Beza, aliique ibi intelli-
 gunt profanationem templi, collocatâ ibi aquilâ, &
 multis patratis, quæ per legem non licebant, ver-
 titque ⲘⲚ γῆρⲱ abominationem stupendam. Cal-
 vinus etiam refert ad profanationem templi
 per Judæos, & ad clarum testimonium vin-
 dictæ Dei, ita enim loquitur, ad Dan. 12, 11.
*non dubito igitur angelum hic loqui de templi profa-
 natione, quæ contigit post Christum patefactum, ubi
 scilicet cessarent sacrificia, & umbra legis abolita
 sunt, à tempore igitur, quo oblatum fuerit juge
 sacrificium, id est, a tempore quo Christus suo ad-
 ventu umbras legales abolevit, ut jam fas non sit
 Deo offerre illic sacrificia, ab illo igitur tempore.
 Deinde a tempore quo posita fuerit abominatio ob-
 stupefaciens. Nam sequuta est Dei vindicta templi
 profanationem. Judæi nunquam putassent finem esse
 positum suis ceremoniis, sed semper fuissent gloriatî
 in externo illo cultu, nisi Deus palam ante oculos
 comprobasset, sibi non placere amplius sacrificia, nec
 totum illum cultum umbratilem: ideo Hierosoly-
 mam & templum exposuit gentium libidini.* Hæc

igitur fuit abominatio obstupesciens quæ posita est, nempe clarum testimonium vindictæ Dei, ut Judæi confusi non amplius jactarent suum templum vel sanctitatem ejus. Et sic in eadem perstat sententia in explicando hoc loco Matthæi, nam hæc voce, scil. abominatione, dicit, notatur immundities, quæ purum Dei cultum, vitiat aut evertit. Dicitur desolationis, quod templi & politie interitum secum traheret.

Alii respiciunt ad certum aliquod idolum, quo templum fuerit profanatum. Sic Petrus Possevinus, in *Spicitegio Evangelico* edito à Jo. Alb. Fabricio Ao. 1712. per *abominationem* hic quoque idolum intelligit, uti & Severus, quem allegat, in catena in Daniele m tunc nondum edita, loquitur, βδέλυγμα ἔθνη καλεῖν τῆ γεφῆ τὰς χειροποιήτας μορφὰς καὶ τὰ τῆς ἑλληνικῆς δεισιδαιμονίας ἀγάλματα, abominationem consuevit scriptura vocare manufactas formas & gentilis superstitionis simulacra, quod deinde probare conatur ex Ezech. 7, 20. Et per locum Sacrum, cujus Christus hic meminit, putat nihil aliud posse intelligi, quam Templum Hierosolymitanum, quia in latina, seu vulgata, versione Dan. 9, 27. dicitur, Erat in templo abominatio desolationis, uti & LXX. fere dixere, καὶ ἐπὶ τὸ ἱερόν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων ἔσται; sed cogitare debebat Jesuita in textu sacro, seu hebræo, nullam mentionem fieri templi, dicitur enim מניחן מצרף הן לוי & super vel propter, alam abominationum vastatio scil. erit

erit. Alii respiciunt ad εἰδωλον Διὸς Ὀλυμπίου, quod Antiochus Epiphanes in templo collocaverat, quando totam terram sanctam commiserit Jovi Olympio, vide 2. *Macchab.* 6, 1.2. & Suidam in lexico pag. 545. edit. *Æmilii Porti.* ubi hunc Antiochum perperam facit filium Seleuci Philopatris, cum fuerit frater Seleuci Philopatris, dicti quoque Soteris, & ambo fuerunt filii Antiochi Magni. Vide Fl. Joseph. *ant. jud.* 1.12. c.4. in fine & c.5. & Appianum *de Syr.* p.m.597. Ad factum hujus Antiochi respiciunt, præsertim cum Antiochus, uti hic *Dan.* 12, 11. dicitur, cessare fecit jure sacrificium, ita enim Josephus refert *ant. lib.* 12. cap. 7. καὶ τὰς καθημερινὰς θυσίας, ἃς προσέφερον τῷ θεῷ κατὰ τὸν νόμον, ἐκώλυσεν αὐτοὺς προσφέρειν, Ἔ quotidiana sacra, quæ juxta legem Deo offerebant, vetuit eos (Judæos) offerre. Deinde quia 1. *Macch.* 1, 54. dicitur, quod βδέλυγμα ἐρημώσεως abominationem desolationis posuerat ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, pro quo apud LXX. legitur *Dan.* 9, 27. ἐπὶ τὸ ἱερόν βδέλυγμα ἐρημώσεων. adde, cum Christus de abominatione hac dicit, stante in loco ἔπου οὐ δεῖ, ubi non oportet, *Marc.* 13, 14. sic Antiochi rabies patrare fecit in sanctuario multa τὰ μὴ καθήκοντα, quæ non oportebant, ut 2. *Macc.* 6, 4. dicitur. Sed hæc omnia tunc præterita sunt, Christus hic loquitur de futuris, & ad ea refert ac allegat Danielis prædicta. Idcirco alii respiciunt ad Tiberii vexillum, cum jussit locari aquilas in pinnaculo templi, vel potius

ad imagines Imperatoris, quæ in templum inferebantur, ut Suidas annotat, quod Pilatus fecit, *νύκτωρ ἐς τὸν ναὸν τοῦ βασιλέως εἰκόνας εἰσπαγαγὼν, imperatoris statua in templum noctu illata.* Suid. in Lexic. pag. 545. In eo tamen errat Suidas, quoniam Flavius Josephus *de bello Jud. l. 2. c. 8.* refert, Pilatum imagines non in templum, sed in urbem intulisse, cum ait, *πεμφθεῖς δὲ εἰς Ἰουδαίαν ἐπίτροπος ὑπὸ Τιβερίου Πιλάτου, νύκτωρ κεκαλυμμένας εἰς Ἱεροσόλυμα παρεισκομίζει τὰς Καίσαρος εἰκόνας, missus autem in Judæam a Tiberio Præfectus Pilatus noctu opertas in Hierosolymam intulit Cesaris imagines.* Quæ res magnum tumultum inter Judæos excitabat, & certè, quia Josephus addit, *σημαῖα καλοῦνται, vocantur signa,* quasi præludia erant futuræ calamitatis; verum quia hoc factum Pilati nimium aberat ab excidii temporibus, de quibus Christus hic loquitur, ut Grotius bene observat, addens, *imo jam evenerat cum Christus hæc loqueretur de eo quod eventurum erat circa finem urbis, ut ipsa verborum series ostendit.* Adde quod Christus hic loquens de ultima vastatione suis amatoribus suadet subitanæam vel celerem fugam. Jam inter factum Pilati & ultimum excidium aliquot anni interfuerunt, adeo ut sat temporis fugiendi fuerit, sed hic Christus celeriter fugiendum esse prædicat, quia vastatio statim sequeretur. Ideo alii iterum respiciunt ad statuam Caligulæ, *quæ erecta fuit in templo,* ut Calvinus annotat ad Dan.

9, 27. Sed notandum est, quod Caligula quidem affectavit ἀποθέωσιν, adeo ut & templum Hierosolymitanum in suam ædem commutare conatus sit, ut Caji Novi illustris Jovis appellaretur, jussit etiam Petronium, ut statuam ejus in templo Dei collocaret, pervenit quoque Petronius cum exercitu Ptolemaidem, ubi Judæis mandatum Cæsaris de collocanda Caligulæ imagine in templo eorum proposuit, addens, quod omnes gentes quæ parerent imperio Romano in suis urbibus inter reliquos Deos imagines quoque Cæsaris locavissent: at soli Judæi istud abnuebant, & nunquam erecta est Caligulæ statua in Dei templo, & intercessione Agrippæ Judæis non amplius molestus fuit, ut Josephus fusius narrat *ant. lib. 18. cap. 11. & de bello Jud. lib. 2. cap. 9.*

Et non opus est, ut ad certum aliquod idolum in templo positum respiciamus: quoniam יִרְשָׁו, quod aliquando quidem pro idolo sumitur, ut 1. Reg. 11, 5. Ezech. 7, 4. 9. & 8, 10. ubi & per βδέλυγμα a Græcis vertitur; a Belgis *een verfoeisel*, in genere tamen, ut Doctiss. Homberg rectè notat, quamvis abominationem vel quamvis rem detestandam ac abominandam significet, ut Nah. 3, 6. *Et projiciam super te יִרְשָׁו abominationes.* Belgæ habent, *ik zal verfoeilijke dingen op u werpen*, LXX. hic βδέλυγµὸν, abominationem, rem execrandam vertunt. Et sic יִרְשָׁו sunt res, a quibus nares ὀφθαλμοὺς constringimus, & nauseamus. Unde

a quibusdam componitur ex relativo ψ , qui, quod, & $\gamma\iota\rho$, nauseavit, detestatus est, abhorruit, unde germanicum, & saxonium verbum *Kotzen*, pro *nauseare*, *es kotsert mich*, quod verbum Kilianus vertit *vomere*, uti & Schottelius *lib. 5. tract. 6. pag. 1349. von der Teutschen Hauptsprache*. Apud Chaldaeos $\gamma\iota\rho\psi$ vel $\kappa\gamma\rho\psi$ quoque est abominatio, vel res abominabilis, uti Buxtorf notat, quomodo hinc Judæi per contemptum vocant pueros Christianorum $\gamma\rho\psi$ & in plur. $\kappa\gamma\rho\psi$. *Lex. Talm. pag. 2518.*

Et quod ad græcum vocabulum $\beta\delta\acute{\epsilon}\lambda\upsilon\gamma\mu\alpha$ attinet illud est a verbo $\beta\delta\acute{\epsilon}\lambda\upsilon\sigma\sigma\omega$, *fastidio*, vel *foetere facio*, *abominabile reddo*, vel a $\beta\delta\acute{\epsilon}\lambda\upsilon\sigma\sigma\omicron\mu\alpha\iota$, *excoror*, *abhorreo*, *fastidio*, *detestor*. Quod Etymologici iterum derivant a $\beta\delta\acute{\epsilon}\omega$, *pedo*, *foetorem emitto*, imo $\beta\delta\acute{\epsilon}\epsilon\nu$ etiam est *foetere*, *pestime olere*, unde $\beta\delta\acute{\omicron}\lambda\textcircled{\circ}$, *crepitus ventris*, & $\beta\delta\acute{\epsilon}\lambda\textcircled{\circ}$, *foetor extinctæ lucerne*, uti & $\beta\delta\acute{\epsilon}\lambda\alpha$, *Sanguisuga*, vel *hirudo* a quibusdam, quia dicitur, quod *hirudo*, vel *hiludo* ἐν τόποις ἐλώδεσι vel ἰλυώδεσι in limosis locis nascitur, & pessimè olet: Licet ego hoc ultimum vocabulum potius derivarem a $\beta\delta\acute{\epsilon}\lambda\omega$, *exsugo*, unde vox *Sanguisuga*, quia *hirudo sanguinem è corpore fugit*: unde Theocritus ait, *id. 2. vs. 56.*

-- -- τί μὲν μέλαν ἐκ χοῦς αἶμα
Ἐμφύς, ὡς λιμῶντις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

- Quid

Quid mihi atrum è corpore sanguinem,
 Veluti palustris hirudo inhaerens, omnem exsuxisti.

Ubi Scholiastes dicit, αι βδέλαι εν λιμναις γίνονται καὶ εν ποταμοῖς προσαιγόμεναι δὲ, τὸ αἷμα ἐκθιλάζουσι. εἶρηται δὲ βδέλαι, παρὰ τὸ βδάλλειν, ὃ ἐστιν ἐξαιμέλγειν τὸ αἷμα, τὸ γὰρ αἰμέλγειν, Ἀττικοὶ βδάλλειν λέγουσι: uti & Moeris Atticista de vocibus Atticis notat, quomodo Attici βδάλλειν pro αἰμέλγειν, & βδύλλειν pro βδεῖν dicunt. Ut ergo βδελύσσειν vel βδελύσσεισθαι, in genere notat, detestari, fugere, abominari, fastidire aliquid, quod pessimè olet, quodque tetterimè foetet, illudque execrari, ac odio maximo profequi, sic βδελύγματα sunt omnes res abominabiles, vel omnia abominanda, execranda, ac detestanda: Et usurpatur βδελύγμα tam de re, quam de persona detestanda: Unde Chrysofostomus dicit in cap. 2. Jesaiæ, τὸ μιστὸν καὶ ἀποσροφῆς ἄξιον ἐν τῇ γενοφῇ λέγεται βδελύγμα, res odio & aversione digna in scriptura vocatur βδελύγμα, i. e. abominatio, imo omnes impurae actiones Deo sunt βδελύγμα, dicit Basilius, notante Suicero, in Thesauro eccles. tom. 1. col. 676. unde apud Lucam cap. 16, 15. τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, dicitur esse βδελύγμα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ubi βδελύγμα abominatio, abstractum ponitur pro concreto, βδελυκτὸν, abominabile, i. e. qui elati ac superbi sunt, ut

pharisæi, qui sua justitia externa ac legalibus ceremoniis, externisque observationibus gloriabantur, seseque magnificè jactabant, illi omnes Deo erant βδέλυγμα. Et hinc est, quod Dii falsi, seu idola, quæ sunt res Deo maxime detestandæ, etiam vocantur βδελύγματα, quasi *Dii stercorii*, & res foedissimi odoris, quæ tanquam stercus foetent. Unde Paulus ait, ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἰδωλα, ἱεροσυλεῖς; Rom. 2, 22. Hinc & Suidas dicebat, βδέλυγμα, πᾶν εἶδωλον καὶ πᾶν ἐκτύπωμα ἀνθρώπου ἕτως ἐκαλεῖτο παρὰ Ἰουδαίους, abominatio apud *Judeos omne simulacrum*, & omnis effigies hominis appellabatur, Suidas in Lexico p. 544.

Dicendum ergo, dicit Doct. Homberg, τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως idem esse quod ἐρημωσις βδελυκλή, desolatio horrenda, modo loquendi & Sacris & profanis scriptoribus adeo usitato, ut probare non opus sit. Rectè dicit, quod modus loquendi usitatus sit & sacris & profanis scriptoribus, adeo ut non opus sit cum multis hic hebraismum statuere, quia Græci scriptores sic sæpe prius substantivum usurpant pro adjectivo, & abstractum pro concreto, ut Luc. 1, 48. ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτῆς, respexit humilitatem ancilla sua, i. e. humilem ancillam suam. Sic Euripides in *Hecuba* vs. 217. ait, καὶ μὲν ὀδύσσευς ἔρχεται σπερδῆ ποδῶν, & quidem *Ulysses venit celeritate pedis*, i. e. ποδὶ σπερδαίω, celeri pede. Vide plura apud Pfochenium in *diatrib. de purit. gr. ling.* N. T. §. 42. & Horatii

Vitringæ animadversiones ad Vorstium cap. 3. Sic aliquando posterius substantivum ponitur pro adjectivo, ut Matth. 22, 11. ἐνδύμα γάμου, *vestis nuptiarum* pro ἐνδύμα γαμικόν, *vestis nuptialis*, sic Eph. 5, 8. 1. Pet. 1, 4. Luc. 16, 18. &c. de quo loquendi modo apud sacros & profanos auctores usitato, alibi fusius egi, vide Glassium in *Philolog. Sacr. l. 3. tr. 1. can. 2. Pasoris Grammat. p. 280.* Et sic hoc loco βδέλυγμα ἐρημώσεως, quod ad phrasin loquendi attinet, potest exponi βδέλυγμα ἐρημοπικόν, *abominatio vastans vel desolans*, uti apud Danielelem dicitur c. 12, 11. אָבִיּוֹן וְיָרֵשׁ, i. e. *abominatio desolans*. At hoc loco βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως non potest explicari per ipsam desolationem horrendam totius Hierosolymæ & templi, ut Cel. Homberg vult; cum *signum desolationis* bene distinguendum sit *ab ipsa desolatione* urbis & templi. Verum est, quod Christus hic prædicit diram & miserandam, horrendamq; vastationem; notat etiam certum tempus vastationis ex Daniele, sed consulit deinde ut pii maturè fugâ sibi consulant, ne implicentur his calamitatibus, malisque opprimantur cum malè grata turba: ergo signum ponit, quo pii dignoscerent instantem ac indubitam desolationem, ut sequentia Christi verba clarè docent, cum dicit, τότε οἱ (scil. ὄντες) ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη, *tunc qui in Judea fuerint, fugiant in montes*, i. e. in montana Judææ viciniora, in quibus tuti ab hostibus circumcingentibus

Hierosolymam esse poterant, uti sic *1. Mac-*
cab. 2, 28. legitur, quod Mattathias tempore
 Antiochi Epiphanis istiusque atrocis vastatio-
 nis fecit, καὶ ἔφυγον αὐτὸς καὶ οἱ υἱοὶ αὐτῆ εἰς τὰ
 ὄρη, καὶ ἐγκατέλιπον ὅσα εἶχον ἐν τῇ πόλει, & fu-
 git ipse & filii eius in montes, & reliquerunt qua-
 cunque habebant in civitate. Adde quod homi-
 nes ad montes solent fugere, cum hostes ap-
 propinquant, ut ibi tutiores sint ab hosti-
 libus incursionibus, ob arduos adscensus, ac
 varias latebras, non omni hosti statim obvias.
 Hinc cum Xenophon Carduchiorum regio-
 nem cum exercitu ingressus erat, ipse anno-
 tat, quod *Carduchi desertis adibus cum uxoribus*
ac liberis, ἔφυγον ἐπὶ τὰ ὄρη, fugiebant in montes, Xe-
noph. de expedit. Cyri l. 4. fere in principio. Quan-
 do ergo, dicit Christus, fugerent? cum viderent
 urbem vastari? templum dirui? non, sed cum
 viderent βδέλυγμα ἐρημώσεως, i. e. detestan-
 dum illud signum desolationis, vel detestan-
 dam illam abominationem, quæ urbem, tem-
 plum & omnia sanctuaria dirueret, tunc, di-
 cit Christus, fugerent, tunc scilicet cum viderent
 illam abominationem desolationis appropin-
 quantem, accedentem, vastationemque mi-
 nantem: tunc ex ea, ut ex signo instantis de-
 solationis ac indubitatae vastationis, colligere
 debebant, fugam jam esse capiendam: ipsa
 enim desolatio non poterat esse desolationis
 signum, tunc non esset tempus fugiendi, cum
 devastaretur, vel devastata esset urbs; sed
 cum

eum abominatio vastationis appropinquaret, vel cum illam viderent appropinquare, tunc fugiendum esset, & quidem quam citò, quia vastatio illa citò quoque fieret vel sequeretur: idcirco moram haud neçtere debebant, sed citissime fugere, uti Christus quoque dicebat vs. 16. 17. 18. tunc qui in Judea sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua, & qui in agro est, i. e. qui ibi opus facit, non revertatur, i. e. non redeat domum, tollere, vel ut sumat, vestimenta sua nimirum exteriora, pallium vel penulam. Uti sic ἱμάτιον pro veste exteriori vel pallio sumitur apud Aristophanem ἐν ἐκκλησίᾳ. pag. 706. edit. Scaligeri 1624. ubi Evæon dicitur γυμνός, nudus, quia vestem exteriorē, ἱμάτιον, pallium non habebat. Sic enim γυμνός, nudus aliquis dicitur, qui quidem tunicam, sed vestem exteriorē non habet, ut Amplissimus Cuperus ostendit observat. lib. 1. cap. 7. Suadet ergo Christus hisce verbis festinationem fugæ, ut Augustinus quoque observat epist. 80. Notum est quomodo domorum tecta olim non erant acuminata, ut apud nos, sed plana, ut in iis deambulare possent, circumdata sepimento, ne quis decideret, vide Deut. 22, 8. & Dietterici antiq. biblic. at h. l. tom. 1. pag. 277. Et Pfeifferi antiq. Hebr. cap. 30. Hinc Christus dicit, non descendat in domum suam, nec ingrediatur, eo animo ac fine, ut quicquam ex illa secum auferat, sed sine ulla mora quam citissime

simè fugiat, relictis in domo omnibus, ut se ipsum modo servet. Ex quibus patet hic per βδέλυγμα ἐρημώσεως non posse intelligi signa Romana muris templi illata à Romanis militibus scalis in eos nitentibus, ut Jesuita Posssevinus in suo spicilegio probat ex Josepho, narrante lib. 7. cap. 9. gr. κβ. edit. Colon. 1691. οἱ δὲ ἀνεπέγκαντες τὰς σημαίας, περὶ αὐτῶν ἐπολέμουν, δεινὴν ἠγάμενοι καὶ πρὸς ἀισχύνην τέτων τὴν ἀπαργὴν, τέλ. δὲ καὶ τῶν σημαίων οἱ Ἰσραῖλοι κρατῆσι, καὶ τὰς ἀναβάντες διαφθείρουν i. e. ut Posssevinus ipse vertit, illi vero (milites videlicet Romani,) cum intulissent signa, circum ipsa præliabantur, grave ac sibi turpe arbitrati fore, si ea ipsis eriperentur. Tandem tamen Ἡ signa venerunt in potestatem Judæorum; Ἡ qui ascenderant ab ipsis interfecisti sunt. Hæc signa Romana, illata muro Templi, Ἡ a Judæis rapta, dicit Posssevinus, abominatio fuerunt, stans in loco sacro, ut Christus loquitur, Ἡ ut Daniel disertius exprimit, in templo. Præsertim cum Josephus addit, ὁ δὲ τέλ. ὡς ἐώρε τὴν ἐπὶ τοῖς ἀδοτέοις ἱεροῖς Φειδῶ, πρὸς βλαβῆς τοῖς σραπώταις γενομένην καὶ φόνον, τὰς πύλας προσέταξεν ὑφάπλειν, Titus autem, ut vidit gravi suorum militum damno ac cede parci alieno templo, ignem admoveri portis jussit: quia hæc signa capta causa fuerunt incendii Templi, idcirco Posssevinus ait, quod eadem dicuntur abominatio desolationis. Verum perperam dicit, quod Daniel disertius exprimit, in templo, cum apud Danielem nulla mentio templi fiat ut supra notavi

tavi. Deinde, hæc signa illata muro templi non fuerunt causa incendii templi. Jufferat quidem Titus ignem admoveri portis, cum videret signa capta periculumque suorum militum, imo addit Josephus quod milites ταῖς πύλαις προσῆγον τὸ πῦρ ignem admoverant portis, sed postero die Titus jussit incendium restinguere, & sic postea invito Tito templum a quodam milite est incensum, ut Josephus narrat *lib. 7. cap. 10. gr. κς. de bello Jud.* Præterea non possunt hæc signa muris templi illata intelligi per βδέλυγμα ἐρημώσεως, quia Christus hoc βδέλυγμα ἐρημώσεως ponit ut signum imminentis desolationis, ex quo colligere debebant pii, fugam esse capiendam; sed quomodo tunc temporis, cum signa illa muris illata caperentur, fugerent? cum Josephus dicit, quod Titus diu antea jufferat περιτειχίζειν ὅλην τὴν πόλιν, totam muro cingere civitatem, quod factum narrat *lib. 6. cap. 13. gr. λα. de bello Jud.* ubi annotat, quomodo murus non tantum extractus est circa Hierosolymam, verum etiam quomodo adhuc tredecim castella ædificata erant, adeo ut, collocatis per castella custodibus, Judæis omnis exeundi potestas & spes salutis ademta fuerit, ut Josephus initio *cap. 14. gr. λβ.* addit.

Ob easdem rationes per βδέλυγμα ἐρημώσεως quoque non intelligi potest illa seditio intra Templum, seu turma illa factiosorum Ze-
lotarum, templum occupantium, illudque
in.

innumeris cædibus & omni flagitiorum genere polluentium, uti Lud. Capellus conatur probare *in spicilegio in Matth. cap. 24, 15.* & uti alii viri docti postea quoque dixerunt; verum quidem est, quod illa factiosorum hominū ^{ἡ σέσις} seditio detestanda horrenda ac abominabilis erat, quia Dei Templum horrendum in modum pollutum & prophanatum est, & quod non diu post illam obstinatam pertinaciam ac seditionem factum est, ut tota Hierosolyma & templum ipsum everfa sint, ut Capellus addit; sed tunc non erat tempus fugiendi, tunc locum non poterat habere dictum vel consilium Christi, *qui super tectum est, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua, & qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum vel pallium suum*, multò minus dici poterat, *tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes*, ut Sospitator tamen loquitur, *Matt. 24, 16. 17. & Marc. 13, 14. 15. 16.* quoniam fuga tunc erat difficilis, imo fere impossibilis, quia omnes exitus custodibus obsidebantur, ut Fl. Josephus expresse dicit *de bell. Jud. lib. 5. cap. 2. gr. αβ.* Quomodo qui in urbe Hierosolyma erant fugerent? cum tota urbs & muro & castellis, tamque stupendo exercitu circumcincta erat? quomodo qui in Judæa erant, fugerent in montes? cum omnes exitus tot custodibus totq; militibus armatis erant obsessi? & sic fuis, quia in agro erant, planè impossibile erat fu.

fugere ad montes in urbe Hierosolyma , ut quidam hic perperam statuunt , ob rationes quas jam dedimus. Adde quod *in agro esse* significat in agro opus suum facere , ut arare &c. sed quomodo in agro aliquis opus suum facere poterat , cum urbs vastata erat , vel vastaretur, vel militibus circumdata erat?

Quis igitur ex his omnibus non videt, per *βδέλυγμα ἐρημώσεως* , nil aliud posse intelligi, quam ipsum exercitum Romanum , abominandam , profanam ac detestabilem illam ethnicorum militum copiam , quæ abominationi erat Judæis , & quæ non tantum dicitur *βδέλυγμα* , abominatio , sed *βδέλυγμα ἐρημώσεως* , abominatio vastationis.

Primo hic exercitus dicitur *βδέλυγμα* , abominatio , respectu Judæorum ac terræ sanctæ, quam terram Judæi quidem jure patrio possidebant , verumquam jam impuri Romanorum milites invadebant : non enim templum tantum erat sanctum Dei habitaculum , sed tota urbs Hierosolyma , imo tota terra Judæa erat sancta , Deoque vero consecrata. At vero jam ubique invadunt hanc terram sanctam impuri gentiles , jam exercitus & aquilæ Romanorum castra figunt ac stant in loco sancto , ubi non decet. Quæ omnia vere *βδελύγματα* , & spectacula erant horrenda , detestanda ac luctuosa Judæis , qui tot signis impuris , ac idololatrieis , tot legionibus vastatricibus , totque stupendis hostibus se undique circumcin-

gi

gi viderent. Adde, ut Grotius hic annotat, quod exercitus Romani & copiae illorum alienigenarum Judæis verè βδελύγματα, *abominations*, erant, quia in signis illis militaribus Romanorum conspiciebantur imperatorum, qui in Divos erant relati, uti & principum vivorum imagines, quas adorabant milites ut *numina legionum*, & *bellorum deos*, uti ex Suetonio, Tacito ac aliis probat. Scilicet affixi erant iis signis clypei, & in clypeis pictæ erant imagines Cæsarum: uti tales icunculas in orbe aureo vel argenteo collo tenus expressas videre licet in Columna Trajani, fol. 6. 28. 38. 42. 51. 88. 89. 100. Sic etiam Drusi imago inter signa occurrit apud Tacitum *annal.* 1. 43. 3. *Tua dive Auguste cœlo recepta mens, tua pater Druse imago*: & de Galbæ imagine ait, *vexillarius comitantis cohortis direptam Galbæ imaginem solo adflixit.* *hist. lib. 1.* Hinc Suetonius ait, quod Tiberius Syriacas Legiones muneribus quibusdam profecutus est, quod ab his solis nulla Sejani imago inter signa militaria culta, adorataque fuisset. *Suet. in Tib. cap. 48.* at de Artabano Parthorum rege dicit, *odium semper contemptumque Tiberii præ se ferens, amicitiam ejus ultro petiit, venitque ad colloquium legati consularis: & transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana Cæsarumque imagines adoravit.* *Suet. in Calig. cap. 14.* Et quia imagines imperatorum inter signa militaria gestari moris erat, uti & Vegetius l. 2. c. 7. docet, hinc qui eas gesta.

gestabant dicti sunt *imaginarii*: sic enim loquitur, qui *aquilam* portant, *aquiliferi*, qui *imperatoris imagines* ferunt, *imaginarii*, vel *imaginiferi* appellati sunt. Et de veneratione illarum imaginum idem Vegetius l. 2. cap. 6. dicit, *hæc*, scil. *prima cohors, imagines imperatorum, hoc est, divina & presentia signa veneratur*. Ad quem locum Stewechius observat, *magna olim militaribus signis devotio religioque delata est*. Uti variis exemplis, etiam de Labaro probat, de quo Sozomenes hist. eccles. lib. 1. cap. 4. dicebat *Σημείον δὲ τῆτο πρῶτον καὶ θότι αἰεὶ τῆ βασιλέως ἠγείσθαι, καὶ προσκυνεῖσθαι νεόμισο παρὰ στραπτῶτων*, hoc signum venerabile maxime, quia & principem antecedere & adorari a militibus solebat. Deinde Stewechius etiam ex Tacito annotat, quomodo illa signa ac simulacra ut legionum numina ac templa erant, quod & Lipsius probat in notis ad Tacitum, & de militia Rom. lib. 4. dial. 5. ubi ex Tertulliano profert, *religio Romanorum tota castrensia signa veneratur, signa jurat, omnibus diis præponit*.

Præterea videbantur quoque veteres habuisse in castris, seu in principiis castrorum facellum seu templum, in quo religionis causa aquilæ & signa servabantur, ut ex Herodiano patet, qui lib. 4. cap. 4. com. 10. 11. de Antonio seu Bassiano Caracalla, post interfectum fratrem Getam, dicit, *ὡς δὲ ἐπέπεσον εἰς τὸ στρατόπεδον, εἰς τε τὸν νεὼν ἐνθα τὰ σημεῖα καὶ τὰ ἀγάλματα τῶ στραπέδῳ προσκυνεῖται, ῥήσιος*

εαυλὸν εἰς γῆν, ἀμολόγει τε χερσὶν αὐτῆς, εἰδὺς τε σωτή-
 ρια. *Uit autem castra attigit, adiculamque eam,*
vel id sacellum, in quo signa & imagines exercitus
adorantur, procidens humi gratias agebat votis
quasi pro salute susceptis. Sic de templo castrorum
loquitur quoque Herodianus lib. 5. cap. 8. com.
13. & 14. Nolo jam disputare, an Herodia-
nus hic de peculiari templo, ubi repositae
erant aquilae, an de ipso praetorio, quod vice
templi erat, loquatur, hanc quaestionem alius
relinquo, uti & an apud Florum lib. 2. c. 12.
pro Templo in quod recepit P. Aemylius Perse-
um, legi debeat tentum i. e. tentorium, an in-
telligi Praetorium, ubi Aquilae erant. De
tali templo, seu sacello castrorum, Lipsius
vult intelligenda esse haec Dionis Cassii Coc-
ceji seu Coccejani verba, quae Lib. 40 pag m.
127. ubi de prodigiis tristioribus, quae Crassi
cladem praecessere, loquitur, leguntur, ὁ
γὰρ αἰεὶς ὀνομασμένῳ, ἔστι δὲ νεὸς μικρὸς, καὶ
ἐν αὐτῷ αἰεὶς χρυσεὶς ἐνίδρυται, καθίσταται τε ἐν πᾶ-
σι τοῖς ἐκ τῆς καταλόγου στρατοπέδοις καὶ ἐδαμῶσε ἐν
τῶν χειμαδίων, πλὴν εἴποι σύμπας ὁ στρατός ἐξίοι, κι-
νεῖται, καὶ αὐτὸν εἰς ἀνὴρ ἐπὶ δόξα μικρὰ εἰς ὄξυ
τὸν στρατικὰ ἀπηγμένον, ὡς καὶ εἰς τὸν δάπεδον κα-
ταπήγνυσθαι, φέρεται. Aquila, vel signum quod
Aquila vocatur, est sacellum exiguum & in eo Aqu-
ila aurea locatur, statuiturque in omnibus ordinariis,
vel per delectum conscriptis, legionibus, nec
prius hibernaculis effertur, nisi cum omnis legio exit,
eamque vir unus in hasta parva, (vel ut Lipsius
wa-

mavult longa, legit enim pro *μικρῶν* potius *μα-*
κρῶν) *cujus inferior cuspis in acutum desinit, ut in*
terram defigi possit, portat: deinde addit Dio ut
ostendat prodigium, hujusmodi ex aquilis una
noluit cum Crasso Euphratem transire, sed perinde ac
si terræ adnata esset, ita infixæ hæsit, donec tandem
a multis circumstantibus vi evulsa fuit, invitaque co-
mitata est suos. Ad hæc verba Dionis Lipsius in
comment. ad Taciti annal. lib. 15. pag. m. 88. dicit,
cave censeas in hasta ipsa simile quidpiam fuisse templi,
nuda enim aquila fuit, ut docent monumenta & num-
mi, sed ad castra referendum est, in quorum principiis
ædacula quedam, sive templum, in quo religionis causa
aquile & signa servabantur. Concedo in pluri-
mis nummis Aquilam nudam sine tegmine ul-
lo facelli conspici, uti Lipsius quoque annotat,
de milit. Rom. lib. 4. dial. 5. p. m. 258. Profert ta-
men Stewechius in notis ad Veget. de re milit. l. 2.
c. 8. p. m. 71. 72. nummum Constantini, in quo
aquilæ istiusmodi facellis inclusæ, seu in quo
talia facella, aquilarum visuntur. Et miror,
Lipsium non potuisse videre, Dionem Cassium
nobis tale facellum aquilæ in loco jam allega-
to describere, quoniam ex Dionis verbis cla-
rum est, quod signum Romanorum non tan-
tum fuerit nuda Aquila, sed Aquila facello
exiguo inclusa, ita enim dicit, Aquila, i. e.
signum quod Aquila vocatur, est facellum exi-
guum & in eo aquila locata, &c. adeo ut Sacellum
simul cum aquila inclusa, illud signum sit,
quod una voce Aquila vocatur, & sic locus

Dionis non est intricatus aut obscurus, ut Lipsius dicebat, sed clarus & perspicuus, saltem ita mihi videtur. Et cum Dio Cassius dicit, quod ex hujusmodi aquilis una noluit cum Crasso Euphratem transire, sed quod ita infixæ hæsit, ac si terræ adnata esset, quare vi evelli debebat a multis circumstantibus, respicit utique non ad castra seu sacellum castrorum seu prætorium, sed ad Aquilas, quæ stabant impositæ hastis, quarum partes inferiores acuminata cuspide seu capulo ferreo humo seu terræ infigebantur, eo loco castrorum, ubi signa reponi solebant. Cum jam copiæ in hostem irent, prodigii loco habebatur, si Aquilæ evellentem non facile sequerentur, sed tenacius hærerent, adeo ut vis major adhibenda esset: hinc Florus inter tristia omina, quæ cladem Flaminii prædicabant, recenset aquilas prædire nolentes lib. 2. c. 6. uti & Valerius Maximus lib. 1. c. 6. ex. 6. ait, C. autem Flaminius eum inauspicato consul creatus, apud Lacum Trasimenum cum Annibale conficturus, convelli signa juberet, lapsa equo, super caput ejus humi prostratus est: nihilque eo prodigio inhibitus, signiferis negantibus signa moveri sua sede posse, a terra nempe cui inhærebant. Alludit ad hanc rem quoque Suetonius in Claud. c. 13. neque aquila ornari, neque signa convelli moverique potuerunt. Vide etiam Servium ad Virg. en. l. 11. vs. 19. p. m. 1595. Quicquid sit, hoc notum est, Aquilas hæc fuisse sacratas, ut Valerius Maximus loquitur

lib. 6. c. 1. ex. 11. quas amabant, ac venerabantur, festisque diebus, ut aliorum numinum simulacra, ornabant, inungebantque *Plin. lib. 13. c. 3.* Unde crimen Majestatis læsæ erat, violare signa aut aquilas, castrorumque numina sancta. Patet igitur ex his omnibus, quomodo exercitus Romanus verè abominatio, aut detestatio, gr. *βδέλυγμα*, dicatur, propterea quod idolorum cultui erat addictus, ut Doctiff. Glassius quoque observat *Phil. Sacr. lib. 3. tr. 1. can. 8. p. m. 569.* Hinc Gerardus meo iudicio rectè dicebat, *Romanus exercitus verè fuit abominatio desolationis, tum quia constabat ex Ethnicis idololâtris, qui Judæis abominationi erant, Actor. 10, 28. tum præcipuè quia idola secum attulerat, vel in statuis vel saltem in signis militaribus.* Fuerunt utique in exercitu Romano, quem Vespasianus in Judæam introduxit, multæ imagines tam Deorum quam principum & signa idololâtrica, quæ templorum instar erant, ut Tacitus loquitur, *annal. lib. 15. stetere agmina legionum fulgentibus aequiis signisque & simulacris Deum in modum templi.* Ideo Grotius dicit, *talìa signa conspicua Titus in castris suis posuit, quasi templum templo Hierosolymitano contrarium.* Imo ipse Fl. Josephus, quas *σημαίας* dixerat, mox *τὰ ἱερόα* vocat. *de bell. Jud. l. 3. c. 4. gr. η.*

Secundò vocatur hic exercitus Romanus non tantum ob dictas rationes *βδέλυγμα*, sed etiam *βδέλυγμα ἐρημώσεως*, abominatio vastationis, seu abominatio vastatrix, quia illæ copię

Romanæ desolationem, seu vastationem & excidium minabantur, & ad desolationem redacturæ erant totam terram Judæam, nam illa abominatio vastatrix vastaret Sancta omnia, urbem, templum, Sanctuarium, totam fere Judæam, populum ipsum, legem, regnum, sacerdotium, omniaque perfecta desolatione vastaret. ideo miseranda & atrox horrendaque esset illa vastatio.

Et hoc puto volebat Christus, quasi dicebat, cum videritis $\Theta\text{ρω γαρω}$ vel $\beta\delta\epsilon\lambda\upsilon\gamma\mu\alpha\iota$ $\epsilon\text{ρημώσεως}$ vel $\epsilon\text{ρημοπκόν}$, id est, totum exercitum Romanum, qui ob dictam idololatriam verè Judæis erit abominandus & execrandus, ubique in terra Judæa appropinquare, castra metari, signa idolica erigere, aquilasque fulgentes expandere, tunc memores estote præsto esse vastationem, tempusque illud, de quo Daniel prædixit cap. 12, 11. imo etiam cap. 9, 27. idcirco tunc citò fugite, quoniam tunc adhuc fugiendi tempus erit, sed cum urbs obsidione cincta fuerit, tunc nulla fugiendi occasio dabitur.

Et hanc interpretationem postulat quoque locus $\text{παρὰ τὴν Ἱερουσαλὴμ}$ Luc. 21, 20. ubi Christus dicebat, $\epsilon\text{ταν δὲ ἴδῃτε κυκλαμένην}$ (i. e. κυκλῶσθαι) $\epsilon\text{πὶ σρωτοπέδων τὴν Ἱερουσαλὴμ}$, τότε $\gamma\text{νώτε}$, (vel secundum Cantabr. γνώσεσθε) $\delta\text{πὴ ἤγγικεν ἢ ἐρήμωσις αὐτῆς}$, (vel αὐτοῖς , ut M. 1. habet.) id est, *quum autem videritis Hierosolymam cingi ab exercitibus, tunc agnoscite, appropinquare*

quare vastationem ejus, vel iis, quia vastatio illa non urbem tantum, sed totum populum Judæum tangeret. Non loquitur Christus in præterito cum videritis Hierosolymam circumdatam, sed in præsentem, circumdari, & utitur participio κυκλαμένην, pro infinitivo κυκλᾶσθαι, uti Græci sic eleganter verbis perseverandi, inveniendi & affectionem animi notitiamque significantibus jungunt participium pro infinitivo, sic Luc. 24, 39. πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα ἐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα, pro ἔχειν, spiritus carnem & ossa non habet, quemadmodum videtis me habere. Et pertinent ad hanc regulam verba ἀγνοῶ, ἰγνώσκω, αἰσθάνομαι, sentio, γινώσκω, cognosco, δοκέω, videor, εἶδω, scio, cæteraque alia, quæ Suicerus recenset in Syntaxi pag. 110. Sic Marc. 2, 16. καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα, quumque Scribæ & Pharisei vidissent eum edentem, pro edere. Sic apud Demosthenem de falsa legat. pag. 218. ταυτὸ ποίνυν τοῦτ' ἂν ἐποίησε Φίλιππος, εἰπὼν τῶν εἶδε δίκην δίδόντα, idem igitur hoc fecisset Philippus, si horum aliquem pœnas dare vidisset. Sic Euripides in Medea, καὶ νῦν ὀρώ μὲν ἑξαμαρτάνων, & nunc video me errare. Et in oreste, ἀρνή κατακταῖς, negas occidisse. Loquitur ergo Christus de inchoatione obsessionis, non de peracta vastatione; sed cum videritis exercitus Romanos appropinquantem, qui duce Romano imperatore Hierosolymam circumdabunt, tunc qui in Judæa seu in tractu Hierosolymitano,

sunt, fugiant ad montes &c. Hinc Grotius rectè dicit, tunc saltem fugite cum primum adventare expansis signis exercitum conspicietis, cum p̄ ni primum castra incipient; nam ad id usque tempus patebit fuga, nondum oclusis egressibus. Quod factum mense, ex quo exercitus urbi admotus erat tertio, quo tempore multos profugisse Josephus refert.

Et sic interpretati sunt hunc locum plurimi interpretes, ut Piscator, dicens, sic autem nominat exercitum Romanorum, qui vastavit Judæam, duce Vespasiano, & Tito, & Hierosolymam evertit. Sic quoque Doctissimi nostri Belgæ, quando ad hunc locum Matthei per abominationem vastationis intelligunt, *het grouwelyk verwoestende leger der Romeinen, gelyk verklaardt wordt Luc. 21, 20. Et ad locum Dan. 9, 27. dicunt, over den vleugel der verfoeyelen of verfoeyingen, versta het verfoeyelyke heydensche Rooms krygsvolk: Matth. 24, 15. over het welke een Krygsoverste zal zyn, die deeze verwoestinge zal aanrigten naar Gods rechtveerdig oordeel. Intelligunt ergo interpretes illi doctissimi per *דמו*, desolatorem ipsum imperatorem Romanum, qui *לעלם ארץ* super alam abominationum, i. e. super exercitum Romanorum esset; quique exercitu horrendo vastationem per Judæam faceret, urbemque & templum everteret, uti exitus docuit, quod fecit: quid mali aut incommodi in hac interpretatione?*

At

At addo, quod verba Danielis c. 9, 27. **לְעַל כִּנְף** **מְשֻׁמֵּם** **שְׁקִיזִים** absque ulla difficultate etiam sic verti possunt, & propter, vel potius nam propter alam abominationum erit vastatio: ita enim præfixum **ו**, *vau*, non raro notat *nam*, & particula **לְ** propter, vide Gen. 2, 19. & 20, 3. Ps. 60, 12. Gen. 26, 7. & 43, 18. uti Glassius annotat *Philolog. Sacr. lib. 3. tr. 6. can. 12. & lib. 4 tr. 1. observ. 7.* & quod participium **מְשֻׁמֵּם** substantivè verto, *vastatio*, quoque in sacra lingua usitatum est, ut *Ezech. 21, 5.* **מְשֻׁמֵּם** **מְשֻׁמֵּם** *parabolarum artifex*, vide Glassium *lib. 3. tr. 4. can. 2.* adeo ut nihil obstet huic versioni: & tunc sensus est, quiescere vel cessare faciet sacrificium & oblationem, nam propter alam abominationum erit vastatio, i. e. propter appropinquantem horrendum exercitum Romanorum, & abominabilem illam copiam militum gentilium erit vel fiet omnimoda vastatio, quâ omnia sanctuaria penitus evertentur & per consequens totus cultus Mosaicus omniaque sacrificia ac oblationes cessabunt.

Sed cum Christus jam porrò dicit, *ἔσωσεν ἐν τῷ πῶ ἀγιῶ* mire se torquent commentarores, quorsum illa verba sunt referenda & quomodo intelligenda. Quidam referunt ad Daniellem, quasi ille dicatur stetit in loco sancto, cum hæc prædixerit Spiritus Sanctus: Sed quod hæc expositio sit falsa, docet nos & ipsa res, & analogia grammatica, Luthe-

rus, Beza, Coccejus, & alii referunt ἐσὼς, ad βδέλυγμα, cum videritis abominationem stantem &c. uti & ego puto explicandum esse, sicuti statim demonstrabo.

Sed displicet hæc interpretatio quoque Virro Doctissimo Hombergio, ob difficultates grammaticas, quas sibi hic facit, licet reverâ nullæ sint, ut patebit: jungit igitur verba hæc, ἐσὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ cum sequentibus, & quidem primò cum immediatè sequentibus ὁ ἀναγιγνώσκων νοεῖτω, ut sensus sit, quicumque stat in loco sancto, & hæc legit, mentem advertat. Quasi Evangelista sermonem dirigeret ad eos, qui vastationem illam sensuri erant, quos meritò hortaretur, ut attenderent & sibi cavent: & quamvis putet, huic sensui nihil obflare, tamen hæc verba, ἐσὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ, potius jungit cum iis, quæ deinde vs. 16. sequuntur, τότε οἱ ἐν Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη, unde hic oriatur sensus, quando videritis abominandam illam vastationem, quæ dicta est a Daniele propheta, tunc ille, qui stat in loco sancto, (Lector mentem advertat) & illi qui sunt in Judæa, fugiant in montes. Sed secundum hanc expositionem necessariò textui sacro duæ vel tres dictiones sunt addendæ, quod non licet, nempe ante ἐσὼς tunc addi debet τότε ἐ, & deinde post ἁγίῳ addi debet καὶ, ut sensus sit τότε ὁ ἐσὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ, καὶ οἱ ἐν Ἰουδαίᾳ vel οἱ δὲ ἐν Ἰουδαίᾳ ita enim vir doctiss. ipse Latine dicit, tunc qui stat in loco sancto, & qui in Judæa sunt.

Pro-

Probat quidem articulum ὁ aliquando deesse, sed eo non removet omnes scrupulos, probare debebat, in protasi omitti non tantum ὁ, sed etiam τότε; quod loco Pausaniae, quem allegat, non facit, ita enim se habent Pausaniae verba, τότε οὖν ὄρμήσαντες εἰς τὴν ποιμνὴν λύκοι, πῆς μὲν προβάτοις ἐγίνοντο ἔδεν βλάβη, οἱ δὲ τὰς αἴγας τὰς Κατσιάδας ἐκτεινον, i. e. ut ipse Vir Doctissimus vertit, tunc quidem gregem invadentes Lupi, ovibus nullam sanè noxam intulerunt, solas verò Catæadas necarunt. Ubi quidem articulus ὁ ante λύκοι omissus in fine periodi ponitur, sed in principio periodi non omittitur τότε, nec additur in apodosi, ubi non opus est, quia extat in protasi: vel si τότε textui non addat, saltem transponit; nam Matthæus non dicit τότε ὁ μὲν ἕως, uti Hombergii transpositio legit, sed ἕως ἐν τόπῳ αἰγίῳ, ὁ ἀναγινώσκων, τότε οἱ ἐν τῇ Ἰσδαίᾳ Φευγέλωσαν: at apud Pausaniam statim in initio legitur τότε ἐν ὄρμήσαντες &c. ergo locus Pausaniae plane dissimilis est huic nostro loco Matthæi. Deinde non probat, licitum esse, addere καὶ vel δὲ, ut tamen facit. Adde quod secundum Doctissimi Viri interpretationem Matthæi verba tunc non possunt conciliari cum Marci verbis, qui habet, ἕως ὅπου ἔδει. Notum est, quod verbum impersonale δεῖ vulgo notat decet, convenit, par est, æquum est, justum est. Uti & Belgæ etiam vertunt per behooren, betaamen, moeten, behoorlyk. Bis etiam in N. T. vertunt, noodig zyn,

ζην, ut *Act.* 1, 21. ubi Beza tamen δὲ ζῆν vertit,
 oportet igitur, uti & *Act.* 21, 22. δὲ πλῆθει συν-
 ελθεῖν oportet convenire multitudinem. Et cum
 adverbio negandi ἢ vel μή, ordinariè notat, non
 oportet, non decet, sic *Act.* 25, 24. ἐπιβοῶντες μὴ
 δεῖν ζῆν αὐτὸν μηκέτι, vociferantes non oportere
 ipsum vivere amplius, sic *Tit.* 1, 11. διδάσκοντες
 ἢ μὴ δεῖ, docentes quæ non decet. Et sic apud
 Demosthenem, ἢ δεῖ χάριν πλεονεξία εἶναι τῷ
 καθήκοντι ποιῆσθαι, non plus gratiæ quam officio
 tribuendum est. Et sic λαλῆσαι τὰ μὴ δεόντα, lo-
 qui quæ non decet, legitur apud Paulum 1.
Tim. 5, 13. Et vix credo, Doctissimum Virum
 posse demonstrare, quod ἢ δεῖ, alia signifi-
 catione, quam non decet, non oportet vel non
 convenit, occurrit. Jam Judæo licebat stare in
 loco sancto, in templo, vel Hierosolymita-
 no agro &c. ergo ἐς ὧς ἐν τόπῳ ἁγίῳ, ut Mat-
 thæus habet, vel ἐς ὧς ὅπου ἢ δεῖ, uti Marcus
 dicit, necessario conjungendum est cum
 præcedentibus, & referendum ad τὸ βδέλυγμα
 ἐρημώσεως, τὸ ρηθὲν διὰ Δανιὴλ τῷ προφήτῃ, ἐς ὧς ἐν
 τόπῳ ἁγίῳ, ὅπου ἢ δεῖ, i. e. ad abominationem va-
 stationis, prædictam a Daniele Propheta, stantem in
 loco sancto, ubi non decet, ita enim concordant
 εἴπαν ἴδιντε τὸ βδέλυγμα, τὸ ρηθὲν, & ἐς ὧς. Nul-
 la hic quoque admittitur anomalia, ut Do-
 ctissimus Hombergius putat, nec in genere
 nec in casu. Sed putavit Vir Doctissimus
 ἐς ὧς esse nominativum masculini gene-
 ris, certè tum daretur duplex anomalia,
 uti

uti ad Marc. 13, 14. dicit : quia βδέλυγμα
 est accusativus neutrius generis, cum quo
 ἐςὼς, si nominativus masculini generis esset,
 non posset conjungi. Sed ἐςὼς est quoque ac-
 cusativus neutrius generis, ab ἐσηκῶς vel ἐσαικῶς
 ἐσαικῦαι, ἐσαικός. Jam neutrum illud ἐσαικός Ionicè
 est ἐσαιός, contractè ἐςὼς : notum enim est,
 quod Iones ν, κ, σ, τ, positas inter duas voca-
 les frequentissimè extrudant, & Atticè post
 fit contractio, maxime in participiis, ut Wel-
 lerus ostendit in sua grammatica pag. 31, 32.
 & pag. 49. ubi speciatim notat, quomodo Jo-
 nes è præteritis κ subtrahunt. Sic jam ἐσαιός
 hoc loco in accusativo neutrius generis pri-
 mum Ionicè est ἐσαιός, deinde per contractio-
 nem Atticam, qua α, sequente ο, vel ω, contra-
 hitur in ω, est ἐςὼς. Vide quoque Pasoris
 grammaticam pag. 191. ubi hunc locum alle-
 gans dicit, τὸ ἐςὼς, per ω, non ο, ob contra-
 ctionem. Ubi jam ulla anomalia? Miror
 sanè virum Doctissimum hoc non vidisse, si
 enim vidisset, hanc nostram expositionem
 non inculasset duplicis anomaliæ, cum nulla
 sit, uti jam demonstravi. Cum ergo ἐςὼς
 est accusativus neutrius generis rectè conjun-
 gitur cum βδέλυγμα, & totus sensus absq; ullo
 scrupulo rectè vertitur, cum videritis abomina-
 tionem vastationis stantem in loco sancto, ubi non
 oportet, tunc qui in Judæa sunt fugiant. &c. Et
 sic Piscator quoque dicebat, ἐςὼς, stantem, sic
 vox græca reddenda est propriè, quia sermo est de ex-
 ercitu

terram, uti & Sacra Scriptura Ethnicos quoque vocat τῆς ἐξῶ, 1. Cor. 5. 13. Confer 1. Tim. 3: 7. Hinc Joh. Quistorpius in tract. de terra Sancta dicit, appellatur Terra Sancta, quia eam Deus sua presentia sanctificavit, ita ut sedem quasi ibi fixisse videretur. Sancta merito dicitur, fuit enim SS. Patrum colonia, Filium Dei in carne nascentem excepit, natum aluit, sedenti solium, oranti scabellum, quiescenti culcita, vel ut C. Cero habet, culcitra, fuit; vivum portavit, mortuum suis visceribus triduum complexa est; tum denique Prophetæ & Apostoli eam doctrinâ & miraculis illustrarunt. Et sanè vix pedem aliquo colloces, quin memoria occurrat alicujus rei sanctæ.

Et de hac terra sancta loquitur Christus, cum dicit, cum videritis abominationem vastationis, vel vastatricem, stantem in loco sancto ubi non oportet vel non decet. Non enim decebat Ethnicos idololatrias calcare imperis pedibus solum Deo vero sacratum, & imagines, aquilasque erigere in loco sancto, & castra metari in terra Immanuelis sancta. Hinc notabile est, quod Flavius Josephus, notante quoque Grotio, antiq. Jud. lib. 18, c. 7. refert, cum Vitellius copias militares, jussu Tiberii, adversus Aretam per Judæam ducere pararet, deprecabantur Judæi transitum, quia non oportebat gentiles exercitus stare in loco sancto, ita enim Josephus loquitur. Οὐκ ἔδει δὲ παρεσκευασάμεν ὡς εἰς πόλεμον τὸν πρὸς Ἀρέταν δυοὶ τάγμασιν ὀπλιῶν, ὅσοι τε περὶ αὐτὸν ψιλοὶ καὶ ἵππεις συμμαχῶντες ἐκ τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις βασιλευσάντων

λειῶν ἀγόμεν^ⲟ ἐπὶ τῆς πέτρας ἠπειγῆτο, καὶ ἔσχε
 πτολεμαίδα, ὠρμημένω δὲ αὐτῷ διὰ τῆς Ἰσδαίων
 ἄγειν τὸν στρατὸν, ὑπαντιάζοντες ἄνδρες οἱ πρῶτοι,
 παρεμπούντο διὰ τῆς χώρας οὐδὲν. Οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι
 πάτριον, περιεργᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομέ-
 νας, πόλιν δὲ εἶναι σημαίας ἐπικειμένας. *Vitellius
 autem ad bellum paratus adversus Aretam, sumptis
 duabus legionibus armatis, & levis armaturæ atque
 equitum auxiliis missis a sociis regibus, properans
 versus Petram pervenit Ptolemaidem. Quumque
 vellet per Judæam exercitum ducere, occurrerunt
 ejus regionis principes, deprecantes transitum, ne-
 que enim patrios ritus permittere, ut inferantur ullæ
 imagines, quales Romana signa habebant pleraque.
 Ecce, quia Judæi erant cultores unius Dei, id-
 circo in conspectu suo non facile tolerare pot-
 erant, ut exercitum suum Vitellius duceret
 per agros Palæstinæ, veriti pollutionem ter-
 ræ Sanctæ a signis militaribus, & ad ea su-
 spensis idolis aureis.*

Parenthesin, (ὁ ἀναγνώσκων νοεῖτω) (*qui le-
 git animadvertat*) non puto ad orationem Chri-
 sti pertinere, sed ab Evangelista Matthæo ef-
 se interpositam, quâque Evangelista omnes,
 qui hæc a Daniele prædicta, & jam a Christo
 repetita legunt, admonet, ut seriò attende-
 rent, quoniam certissimè hæc omnia even-
 tura sunt.

JO. CHRISTIANI BIEL,

de

JUDAEIS EX OMNI GENTE
SUB COELO HIEROSOLYMIS
COMMORANTIBUS

Ad Act. II, 5.

OBSERVATIONES.

ARGUMENTUM.

Nexus, & instituti ratio §. 1. Ἄνδρες εὐλαβεῖς, viri
pii, sancti. §. 2. In τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν subaudien-
dum χωρῶν. Ibiq; Hebraismus. §. 3. Quinam per omnem
gentem terrarum, quae sub coelo, intelligendi. Quid
Asia proprie sic dicta. §. 4. In omnibus tribus orbis
partibus Judæi tempore Apostolorum habitarunt §.
5. Cur inde aliqui illorum Hierosolymis adfuerint. §.
6. Lightfooti ea de re sententia proponitur. §. 7. Pri-
mum ejusdem pro illa argumentum examinatur. Ritus
Judæorum exulum, primitias, in nummos conversas,
per sacros quosdam legatos Hierosolymas mittendi.
§. 8. Legati illi ἱεροπομποὶ dicti; quæ vox Lexicis
addenda. Græcis ejusmodi legati θεωροὶ dicti. Iisdem
in usu, primitias Athenas mittere, & Hyperboreis
Delum. §. 9. Secundum & tertium Lightfooti argumen-
tum ad examen revocatur. §. 10. 11. Conclusio. §. 12.

Act. II, 5.

ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικῶντες Ἰουδαῖοι,
ἄνδρες εὐλαβεῖς, ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ
τὸν οὐρανόν.

§. I.

IN antecedentibus Sacer Historicus miraculosam Spiritus Sancti effusionem, Hierosolymis festo Pentecostes super Apostolos factam, memoraverat. Eodem festo ibidem Judæos ex omni gente sub cœlo commemoratos fuisse, verbis, quæ ante oculos habemus, jam porro indicat. Cum autem in illis post aliorum Interpretum messem observationum quarundam spicas colligere mihi licuerit, age, jam in publicum illas producam.

§. II. Ἄνδρες εὐλαβεῖς tam h. l. quam Act. VIII, 2. sunt viri pii, sancti. Quo sensu & vox εὐλαβῆς legitur Mich. VII, 2. ἀπόλωλεν ΕΥΛΑΒΗΣ ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ κατορθῶν ἐν ἀνθρώποις ἐχ ὑπάρχει. Perit SANCTUS de terra, & qui recte agit, inter homines non existit. Respondet ibi Hebr. קדש, quod LXX. alias subinde per ἁγιος, sanctus, interpretantur. Sic e. c. 2. Paral. VI, 41. καὶ οἱ ὅσιοί σου (קדש) εὐφρανθήτωσαν ἐν ἀγαθοῖς. Et sancti tui letentur in bonis. Psalm. XVI, 10. εἰ δὲ δώσεις, τὸν ὅσιόν σου (קדש) ἰδεῖν διαφθοράν. Neque dabis, sanctum tuum videre corruptionem. Ab eodem קדש Syria-
cum

cum ἰδῆ derivat doctissimus *Fullerus Misc. Sacr. Lib. I. c. 3. p. 32.* ex eoque cum *Scaligero* fluxisse conjicit *Essenorum* nomen, quos *Philo* διαλέκτῳ Ἑλληνικῇ παρωνύμους τῆς εὐσιότητος esse affirmat. Sic & εὐλαβῆ ποιεῖν apud LXX. Levit. XV, 31. legitur pro Hebr. נִזְרָה *separatum fecit*, a Rad. נִזַּר *separavit*, pro quo alias illi ἀγιάζειν, *sanctificare*, adhibent. Vid. Num. VI, 12. Conf. & Levit. XXV, 11. ubi נִזְרָה sunt ἀγιασμένα, & Zach. VII, 3. ubi נִזְרָה est ἀγίασμα. Notum quoque, quod a נִזַּר dicti sint *Nazirai*, ad singularem sanctitatem consecrati. Ex his ergo haut obscure patet, Judæis, Græca lingua utentibus, εὐλαβεῖς fuisse sanctos. Atque adeo Lucas etiam procul dubio eo sensu vocem usurpavit. In Evangelio Cap. II, v. 25. conjungit cum illa vocem δίκαιος, Simeonem δίκαιον καὶ εὐλαβῆ appellans; simili ratione, qua Deus Deut. XXXII, 4. apud LXX. δίκαιος καὶ ὁσιος, *justus & sanctus*, nuncupatur.

§. III. Judæos autem illos, viros sanctos, ulterius Lucas delineat, scribens, quod fuerint ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν, *ex omni gente terrarum, quæ sub cælo sunt.* Sic enim verba illa vertenda sunt. Nam in τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν subaudiendum χωρῶν, quemadmodum & in singulari ἐκ τῆς ὑπὸ ἔρανόν, εἰς τὴν ὑπὸ ἔρανόν, pro ἐκ τῆς ὑπὸ ἔρανόν χώρας, εἰς τὴν ὑπὸ ἔρανόν χώραν, Luc. XVII, 24. dictum esse, bene observat Cl. *Bos Ellips. Græc. p.*

240. edit. Schoetgen. Idem & apud LXX. Job. XVIII, 4. Prov. VIII, 28. hanc ellipsin, occurrere notat. Addi possunt loca Job. II, 2. XXXIV, 13. XXXVIII, 18. 24. XLII, 14. ubi ארץ redditur ἡ ὑπὸ ἔρανον vel ἡ ὑπὸ τὸν ἔρανον. Ut adeo γῆ etiam commode ibi subintelligi possit. Quod vero LXX. ארץ non simpliciter γῆν vel χώραν, sed ἡν ὑπὸ ἔρανον sc. γῆν vel χώραν reddiderint, hoc ex Hebræis alias usitata loquendi ratione, ipsis familiari, fluxisse puto. Hebræi enim *terram* designantes, תחת השמים *sub cælo*, elliptice pro ארץ אשר תחת השמים *terra quæ sub cælo*, dicere solebant. Sic Exod. XVII, 14. *Funditus extirpabo memoriam Amalek* מתחת השמים *ex sub-cælo*, i. e. מארץ אשר תחת השמים *ex terra, quæ sub cælo*. Vid. & Deut. XXV, 19. XXIX, 20. Ex illo igitur Hebraismo & Lucas per τῆν ὑπὸ ἔρανον, & τὰς ὑπὸ ἔρανον *regionem & terras* denotare voluit.

§. IV. Sed cum in verbis, eorumque constructione nulla amplius difficultas sit, sensum eorundem paulo penitius rimemur. Facile autem quis videt, quod per *omnem gentem terrarum, quæ sub cælo*, non speciatim possint intelligi omnes & singulæ in omnibus orbis terræ provinciis gentes. Jam antiquissimis temporibus haut exiguum gentium numerum ex confusione linguarum Babylonica in orbe terrarum exortum fuisse, ex eo non obscure

seure colligitur, quod nomina septuaginta nepotum Noachi, Genes. X. memoratorum, cum nominibus gentium in variis mundi partibus conveniant. Quemadmodum & hinc communis veterum enata est traditio, gentes & linguas in toto orbe septuaginta, vel paulo plures, olim existisse. Videantur de illa *Bochartus* Phal. Lib. I. c. 15. p. 60. sqq. & *Buxtorfius* Diss. de Confus. Linguar. p. 78. sq. Neque dubium, quin crescente mundi ætate plures adhuc gentes & linguæ inde provenerint. Et sane, observante laudato *Bocharto* ex *Valerio Maximo*, in uno Mithridatis regno, qui ne centesimæ quidem parti orbis terrarum imperavit, viginti duæ gentes numerabantur. Sique *Timostheni* fides apud *Plinium* Lib. VI. c. 5. in Dioscuriadem, Colchidis urbem trecentæ nationes, dissimilibus linguis utentes, descenderunt: & postea a Romanis centum triginta interpretibus negotia ibi gesta sunt. Et magnum gentium numerum deprehendet, cui *Geographiam Ptolomæi*, seculo secundo post Christum natum florentis, perlustrare vacat. Sicuti autem in omnes gentes illas Judæos dispersos fuisse, nullibi reperimus, ita ex iisdem festo Pentecostes, quo Spiritus S. effusus est, super Apostolos, aliquos illorum Hierosolymis egisse, nemo, opinor, sibi persuadebit. Sed quid multis? Ipsi Judæi, quos Lucas h. l. ex omni gente terrarum fuisse narrat, v. 9. 10. 11. ex quindecim

cim saltem provinciis sese oriundos indicant, Neque tamen propterea in verbis sacri nostri Historici hyperbolicam locutionem admittendam cum *Erasmo* existimem, qui ad illa hæc inter alia notat : *Lubens rogarem istos, qui non recipiunt hyperbolem in sacris voluminibus, an in hoc conventu fuerint etiam Angli aut Scoti.* Potius cum per ἔθνος non solum speciatim possit intelligi provinciæ alicujus gens, sed generatim quoque gens partis alicujus orbis, in Europam, Asiam & Africam olim divisi, posteriori sensu hic etiam vocabulum accipiendum puto. Ita & *Eustathius* ἔθνος de Libyæ vel Africae gente dixit. Sic enim ad *Dionysii Perieg.* v. 9.

Πρώτα μὲν ἐν Λιβύην, μετὰ δ' Ἐυρώπην, Ἀσίην τε, inter alia commentatur : Ἰσέον δὲ, ὅτι προτιττει τῶν ἄλλων τὴν Λιβύην καὶ νῦν, καὶ ἐν ταῖς ἐξῆς, ἔκατὰ πνα περιηγητικὴν ἀνάγκην, ἀλλὰ, οἷα Λίβυς Φιλῶν τὰ οἰκεῖα, καὶ ἔτω τὸ ἑαυτῆ ἘΘΝΟΣ τῶν λοιπῶν προσημέμεν. Sciendum vero, quod ante reliquas orbis partes Libyam ponat, & hoc loco, & deinceps, non ex aliqua descriptionis necessitate, sed tanquam Libycas amore patriæ, atque inde suam GENTEM ceteris præponens. Cum igitur Lucas ex omni gente terrarum, quæ sub cælo sunt, Judæos Hierosolymis præsentem fuisse, narrat, eo ipso significat, quod ex omnibus tribus orbis, tum cogniti, partibus aliqui adfuerint. Quod etiam v. 9. 10. 11. satis declaratur. Cum enim ipsi Judæi illi patriam suam ibi referant, ex Asia quidem

dem occurrunt Parthi, Medi, Elamitæ, Mesopotamiæ præterea, Judææ, Cappadociæ, Ponti, Asiæ (proprie nimirum sic dictæ*) Phrygiæ, Pamphiliæ, & Arabiæ incolæ, una cum Cretensibus; ex Africa Ægyptum & Libyam Cyrenaicam incolentes; ex Europa Romani.

§. V. Et sane in omnibus istis tribus orbis partibus Judæos tum temporis sedem habuisse, luculenter etiam testatur Philo, sacris Novi Fœderis scriptoribus coævus, de Legat. ad Caj. p. 725. edit. Paris. 1552. ubi de urbe Hierosolyma :

Μητρόπολις δὲ ἔστι μιᾶς χώρας Ἰουδαίας, ἀλλὰ καὶ τῶν πλείων διὰ τὰς ἀποικίας, ἃς ἐξέπεμψεν ἐπὶ καιρῶν, εἰς μὲν τὰς ὁμόρους, Ἰουδίαν, Φοινίκην, Συρίαν, τήν τε ἄλλην καὶ τὴν κείλην προσσηγερομένην. Εἰς δὲ τὰς πόρρω διωρισμένας Παμφυλίαν, Κιλικίαν, τὰ ποσσὶ τῆς Ἀσίας ἄχρη Βιθυνίας, καὶ τῶν Ἰσθμῶν Πόντου μυχῶν. Τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ εἰς Ἑυρώπην, Θετταλίαν, Βοιωτίαν, Μακεδονίαν, Αἰτωλίαν, τὴν Ἀττικὴν, Ἄργος, Κόρινθον, τὰ πλείστα καὶ ἄλλα Πελοποννήσου. Καὶ ἔτι μόνον αἱ ἠπειρομέσαι τῶν Ἰουδαϊκῶν ἀποικιῶν εἰσὶν, ἀλλὰ καὶ νήσων αἱ δοκιμώταται, Ἐυβοία, Κύπρος, Κρήτη. Καὶ σιωπῶν τὰς πέρας Ἐυφράτη. Πᾶσαι γὰρ ἐξω μέρους Βραχέου Βαβυλῶν, καὶ τῶν ἄλλων σατραπειῶν, αἱ ἀρετώσαν τὴν ἐν κύκλῳ γῆν, Ἰουδαίῃς ἔχουσιν οἰκῆτορας.

Metropolis autem est non unius regionis

Uu 4

onis

* Asia illa proprie sic dicta, juxta Ptolomeum Lib. V. cingitur a Septentrione Bithynia; ab occasu reliqua parte

onis Judææ, sed etiam plurimarum propter colonias, quas diversis temporibus emisit tam in finitimas, Ægyptum, Phoenicen, Syriam, & aliam, & quæ cava dicitur, quam in illas, quæ ulterius ab illa se-junctæ sunt, Pamphyliam, Ciliciam, multa Asiæ loca usque ad Bithyniam, & Ponti recessus, imo etiam in Europam, Thessaliam, Boeotiam, Macedoniam, Ætoliam, Atticam, Argos, Corinthum, plurimas & præstantissimas Peloponnesi provin-cias. Neque solummodo terræ continentis Ju-daicarum coloniarum plenæ sunt, sed insule et-iam præstantissimæ, Euboea, Cyprus, Creta. Et taceo illas, quæ ultra Euphratem sunt. Omnes e-nim regiones, quæ non longe ultra Babylonem, & reliquas Satrapias sunt, quæ præstantem in ambitu suo terram continent, Judeos habent incolas. I-dem in Flacc. p. 667. Ἰσθαίης χώρῃ μία διὰ πολυανθρωπίαν ἔχωρῃ. ἥς αἰτίας ἕνεκα τὰς πλεί-ους καὶ εὐδαιμονεσάτους τῶν ἐν Ἑυρώπῃ καὶ Ἀσίᾳ

κα-

parte Propontidis & Hellesponto, tum maribus, Ægeo, Jcario, Myrtoo; a meridie pelago Rhodi-ensi; ab exortu Lycia, Pamphylia, Galatia. Atque adeo Asia illa complexa est Mysiam, Phrygiam Mi-norem seu Troadem, Æolidem, Cariam, Doridem, Lydiam vel Mæoniam, & Phrygiam Majorem. Cur autem Phryges, quos Ptolomæus Asiæ proprie sic di-ctæ incolis una includit, apud Lucam sese ab illis distinxerint, hæc fortasse ratio est, quod peculiari lingua usi sint. Ceterum eadem ratione Asia procul dubio sumitur Act. VI, 9. ubi a Cilicia; & I. Petr. I, 1. ubi a Ponto, Galatia, Cappadocia, & Bithy-nia distinguitur.

κατὰ τε νῆσους καὶ ἠπείρους ἐκνέμονται, Μητρόπολιν
 μὲν τὴν ἱεράπολιν ἠγόμενοι, καθ' ἣν Ἰερουσαὶ ὁ τῆ
 ὑψίστη Θεῶν νεὼς ἄγιος. *Judeos una regio ob homi-*
num multitudinem non capit, quapropter plurimas
ἔστι felicissimas Europæ ἔστι Asiae provincias, ἔστι in in-
sulis, ἔστι in terra continenti incolunt, pro metropo-
li quidem urbem sanctam habentes, in qua sanctum
Dei altissimi templum exstructum est. Taceo alia
eam in rem loca, jam observata ill. Grotio de
Ver. Rel. Christ. Lib. III. §. 16. p. 178. 179. ed.
Lips. 1709. 8. Conf. & doctissimi Basnagii
Hist. Jud. Lib. VI. c. 4. 5. 6.

§. VI. Si autem quæramus, quam ob cau-
 sam Judæi illi ex omni gente terrarum, quæ
 sub cœlo sunt, Hierosolymis commorati sint,
 probabilem esse sententiam existimo *Cornelii à*
Lapide, Menochii, aliorumque Interpretum,
 qui statuunt, quod propter festum Penteco-
 stes eò convenerint. Cum enim profelyti e
 terris, ab urbe sacrâ longius discesserint, tum
 temporis ad sacra peragenda eò sese contu-
 lerint; ut exemplo illustri Eunuchi illius Can-
 daces, Æthiopum Reginae, patet Act. VIII.
 27. quidni etiam de Judæis, in exteris regi-
 onibus hærentibus, statuamus, quod multi
 illorum singulari pietate adducti fuerint,
 aliquando ad tria festa majora, Paschatis,
 Pentecostes, & Tabernaculorum metropolin
 suam petere, & memoriam beneficiorum in-
 signium, quæ Deus olim in majores ipsorum
 contulerat, loco divinitus constituto una cum

aliis celebrare; eo præsertim tempore, quo tanta Messiaë, in Judæa apparituri, erat expectatio, imo & miraculorum ejus, jam manifestati, procul dubio fama?

§. VII. Equidem aliter visum Jo. Lightfooto, Viro in antiquitatibus Judaicis veratissimo; siquidem ad h. l. ita commentatur: *Fatendum est, festum Pentecostes Hierosolymis eo tempore celebrari: verum ex occasione illius festi, Judæos e quavis mundi plaga istuc advolasse nequaquam constat.* I. Etenim id lex neutiquam præceperat, ut nempe Judæi, ubivis regionum dispersi, propter hæc festa Hierosolymas peterent. II. Quipote id fieret? Certe eis perpetuum faceisset negotium, adeo ut nil uspiam rerum satagisse poterant, nisi eundo & redeundo Hierosolymis. III. De his dictum est, quod Hierosolymis habitarunt, h. e. illic loci degerunt. Interea vero ii omnes, qui festis interfuturi duntaxat aderant, paucis modo diebus istic commorati, domum redierunt. Ratio itaque hujusce populorum frequentia ab exteris regionibus illuc contracta, non a festo Pentecostes petenda est, quin potius ab universa illa spe & expectatione adventus Messiaë, cui tunc temporis Judæorum mentes erigebantur. Ille igitur non propter festum Judæos ex omni gente sub cælo ad dies aliquot Hierosolymis commoratos fuisse, sed propter expectationem adventus Messiaë stabilem ibi sedem fixisse, statuit.

§. VIII. Sed expendamus paululum argumenta ejus, quibus sententiam, nobis modo fir.

firmatam, evertere conatur. Primum est, quod lex neutiquam præceperit, ut Judæi ubi dispersi propter festa Hierosolymas peterent. Sed alia etiam reperimus, quæ Judæi ea ætate, præter legis præceptum, pietate quadam facere consueverunt. Ex multis unum jam memorabo. Nempe ex *Philone*, scriptore ipsorum domestico, discimus, quod tempore ipsius Judæi, in exteris regionibus agentes, aurum & argentum quam plurimum, e primitiis collectum, & in æraria, oppidatim fere sacrata, depositum per legatos quosdam, e viris cujusque civitatis probatissimis selectos Hierosolymam quotannis miserint. Sic enim Lib. II. de Monarch. p. 565. Προστέτακται γὰρ ἀνά πᾶν ἔτος ἀπαρχὴν εἰσφέρειν, ἀπὸ εἰκοσαετῶς ἀρχαίμενας: αἱ δ' εἰσφορὰι λύτρα προσονομάζονται. Διὰ καὶ προθυμώτατα ποιῶνται τὰς ἀπαρχάς, Φαιδρὰ καὶ γεγηθότες, ὡς ἅμα τῇ καταθέσει μέλλοντες ἢ δαλείας ἀπαλλαγῆναι, ἢ νόσον ἀκεσιν εὐρεῖν, ἢ βεβαιωτάτην ἐλευθερίαν ὁμῶς ἢ σωτηρίαν εἰς πάντα καρπῶσθαι. Πολυαυθῶς ποτὶ τὰ δ' ἔθνη, ὡς ἐκείνη, καὶ τὰς ἀπαρχὰς ἀφθονωτάτης εἶναι συμβέβηκε. Σχεδὸν γὰρ ἀνά πᾶσαν πόλιν ταμείων τῶν ἱερῶν χρημάτων ἐστὶν, εἰς ἀπαρχαζομένοις ἔθουσ ἀπαρχεσθαι. Καὶ χρόνοις ὠρσμένοις ἱεροπομποὶ τῶν χρημάτων εἰσὶν ἀρσίνοδον ἐπικελεύοντες. Ἐξ ἐκάστης δ' οἱ δοκιμώτατοι χειροτονῶνται, σώως τὰς ἐλπίδας ἐκάστων παρεκπέμψοντες. Ἐν γὰρ νομίμοις ἀπαρχαῖς αἰτῶν εὐσεβέντων ἐλπίδες εἰσὶ. *Institutum est enim, quotannis offerri primitias ab anno ætatis vigesimo:*
has

has redemptionem vocant. Ac proinde volentes libentes summa cum alacritate offerunt, quasi hoc pacto suam libertatem, sanitatem, salutemque redempturi in posterum. Cum autem haec gens sit populosissima, procul dubio haec primitiae maximam rerum copiam suppeditant. Quocirca pene oppidatim sunt sacrata araria, ubi mos est, solvi primitias. Et sacram pecuniam legati ad templum perferunt, delecti ex cujusque civitatis optimatibus, ut spes singulorum salvas deducant. Nam in oblatiis rite primitiis pui spes suas collocant. Idem de Legat. ad Caj. p. 697. de Augusto: Ἠπίστατο ἔν καὶ χρήματα συναγαγόντας ἀπὸ τῶν ἀπαρχῶν ἱερά, καὶ πέμποντας εἰς Ἱεροσόλυμα διὰ τῶν τὰς θυσίας ἀναξόντων. Nouerat igitur colligere illos (Judaeos) sacram pecuniam ex primitiis, et mittere per illos, qui sacrificia abducebant. Et p. 704. de Petronio Syriae Praefide: Ἦδει γὰρ Βαβυλωνίαν, καὶ πολλὰς ἀλλὰς τῶν σιτραπειῶν ὑπὸ Ἰσδαίων κατεχομένας, ἃ καὶ ἀνθὴ μόνον, ἀλλὰ καὶ πείρα. Καθ' ἕκαστον γὰρ ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὶ στέλλονται, χρυσὸν καὶ ἄργυρον πλείστον κημίζοντες εἰς τὸ ἱερόν, τὸν ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν, δυσβάτης καὶ ἀτραβείας καὶ ἀνηνύτης ὁδὸς περαιομένοι, ἃς λεωφόρος εἶναι νομίζουσιν, ὅτι πρὸς εὐσέβειαν ἀγεῖν δοκῶσι. Notitiam enim habebat Babylonis, et multarum aliarum satrapiarum, quas Judaei tenebant, non ex fama solummodo, sed etiam experientia. Singulis enim annis sacri legati mittuntur, aurum et argentum plurimum ex primitiis collectum portantes, per vias aditu difficiles, minus tritas, et longas euntes,

tes, quas regias esse putant, quod ad pietatem ducere videntur. Adscribi etiam merentur, quae p. 728. de Augusti edicto, easdem primitias, vel pecuniam inde collectam spectante, memorat. Sic enim ibi de Augusto scribit :
 Το μὲν γὰρ πρῶτον ἀπέσειλε τοῖς ἐπιτρόποις τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐπικρατειῶν, πυθόμενοι ὀλιγωρεῖσθαι τὰς ἱεραῖς ἀπαρχαῖς, ἵνα ἐπιτρέπωσι τοῖς Ἰουδαίοις μόνοις εἰς τὰ συναγωγία συνέρχεσθαι. μὴ γὰρ εἶναι ταῦτα συνόδου ἐκ μέρους καὶ παροινίας ἐπισυτάσει, ὡς λυμαίνεσθαι τὰ τῆς εἰρήνης, ἀλλὰ διδασκαλεῖα σωφροσύνης, καὶ δικαιοσύνης, ἀνδρῶν ἐπιτηδεύοντων μὲν ἀρετῆν, ἀπαρχαῖς δὲ ἐτησίως εἰσφέρόντων, ἐξ ὧν ἀνάγκη θυσίας, στέλλοντες ἱεροπομπὰς εἰς τὸ ἐν ἱεροσολύμοις ἱερόν. Ἔπειτα κελεύει μηδένα ἐμποδῶν ἴσασθαι τοῖς Ἰουδαίοις, μήτε συνίεσι, μήτε συνεισφέρουσι, μήτε διαπεμπομένοις καλεῖν τὰ πάλαι εἰς Ἱεροσόλυμα. Ταῦτα γὰρ εἰ καὶ μὴ τοῖς ῥήμασι, τοῖς γὰρ πρῶτον ἀπαρχαῖς ἐπέσειλλαι. Μίαν δὲ ἐπιστολὴν ὑποτέταχα πρὸς τὴν σὴν τῆ δεσπόσης πειθῶ, ἢν Γαῖος Νορβανὸς Φλάκκος ἐπιστάται, δηλῶν τὰ ὑπὸ Καίσαρος αὐτῷ γραφέντα. Ἔστι δὲ τῆς ἐπιστολῆς τὸ ἀνήγραφον Ἰόδε, Γαῖος Νορβανὸς Φλάκκος ἀνθύπατος Ἐφησίων ἀρχαῖς χαίρειν. Καίσαρ μοι ἔγραψεν, Ἰουδαίους, ἃ ἂν ᾖσιν, ἰδίῳ ἀρχαίῳ ἐθισμῷ νομίζουσιν συναγομένους χρήματα εἰσφέρειν, ἃ πέμπουσιν εἰς Ἱεροσόλυμα. Τίς ἐκ ἠθέλησε κωλύεσθαι τῆτο ποιῆν. Ἐγραψα ἔν ὑμῖν, ἵν' εἰδῆτε, ὡς ταῦτα ἔτω γίνεσθαι κελεύω. *Primum cognito, quam negligenterur sacrae primitiae, per litteras mandavit provinciarum Asiae procuratoribus,*
 ut

ut sinerent *Judeos solos in synagogis cœtus facere.*
 Non enim hæc esse bacchanalia, vel seditiosorum
 conventicula turbandæ pacis causa: sed scholas ju-
 stitiæ temperantiæque, virorum qui virtuti studeant,
 & primitias quotannis conferant, unde adducan-
 tur sacrificia, missa sacra legatione ad templum Hie-
 rosolymitanum. Dein edicit, ne quis sit impedi-
 mento *Judeis, cœtus collectasve facientibus, aut*
Hierosolyma eas mittentibus more patrio. Hæc
 enim etsi non his verbis, in eam tamen sententiam
 mandata sunt per literas. Subjiciam exemplum
 unius epistolæ, quo facilius credas, Domine, quam
Cajus Norbanus Flaccus scribit, indicans, quid ipsi
Cæsar significaverit. Epistolæ verba hæc sunt: C.
Norbanus Flaccus, Proconsul, Ephesiorum magi-
stratibus salutem. Cæsar mihi scripsit, *Judeos, u-*
bicumque sint, antiquo more suo cœtus facere, con-
ferreque pecunias, quas mittant Hierosolyma. Hos
 non vult prohiberi, quo minus hoc faciant. Scripsi igitur
 ad vos, ut sciatis, quod hæc ita fieri jubeam.
 Hanc *Judæorum consuetudinem paulo pleni-*
 us enarrare volui, quod illis, qui ex instituto
 de primitiis *Judæorum egerunt, prætermis-*
 sam penitus videam. De eadem vero nihil
 reperimus in lege; quamvis lex de decimis
 quas Deus ob longiorem viam vendere, &
 pretium inde redactum ad urbem sacram per-
 ferre jufferat Deut. XIV, 24. 25. occasionem
 illi dedisse videatur. Sicuti igitur *Judæi præ-*
 ter legis præceptum primitias, in æs conver-
 sas, e regionibus extraneis ad templum able-

garunt, ita ex iisdem aliquos ad festa convenisse, dicere nihil vetat, quamvis in Mose nihil ea de re sancitum inveniamus.

§. IX. Obiter autem ex *Philone* notare liceat, quod illi, per quos pecunia e primitiis collecta transmissa fuerit, peculiari vocabulo, in Lexicis frustra quaesito, *ιεροπομποι* dicantur. Græci alias sacros ejuscemodi legatos *θεωρῶς* dicere solebant. *Hesychius*: *Θεωρῶς*, ὡς θεωρὸς ἐσεφανωμένῳ. *Θεωρῶς* δὲ ἐκάλουν, τῶν τοῖς θεοῖς τὰς ἀπαρχὰς ἀπάγοντας. *Θεωρῶς*, qui ut *θεωρὸς coronatus est*. *Θεωρῶς* vero vocabant illos, qui primitias ad deos abducebant. Nam apud Græcos etiam in usu fuisse, ut pleræque illorum urbes primitias frugū Athenas quotannis miserint, nos luculenter satis docet *Isocrates Paneg. p. 90*. *Αἱ μὲν γὰρ πλείσται*, inquit, *τῶν πόλεων ὑπομνήματα τῆς παλαιᾶς εὐεργεσίας, ἀπαρχὰς τῶν σίτου καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὡς ἡμᾶς ἀποπέμπουσι. Ταῖς δ' ἐκλείπτουσι πελοπόννησος ἢ Πυθίαν προσεταξέν, ἀποφέρειν τὰ μέρη τῶν καρπῶν, καὶ ποιεῖν πρὸς τὴν πόλιν τὴν ἡμετέραν τὰ πάτρια.* Nam pleræque urbes, in veteris beneficii memoriam frumenti primitias quotannis ad nos mittunt. Si quæ autem id intermiserunt, iis Pythia sæpe imperavit, ut *Ἔσπartes frugum offerrent*, *Ἔ* nostræ urbi præstarent ea, quæ a patribus accepissent. Hyperboreos quoque frugum primitias initio per virgines probatissimas, deinde per populos, alios aliis tradentes, Apollini Delio mi-

mississe, testantur *Herodotus* L. IV. c. 34. *Pausanias* L. I. c. 31. p. 77. *Plinius* L. IV. c. 12. *Solinus* c. 21. *Mela* L. III. c. 5.

§. X. Secundo doctissimus *Lightfootus* fieri non potuisse, quod Judæi propter festum Hierosolymis adessent, ex eo existimat, quod hoc illis perpetuum facessisset negotium, & omne tempus eundo & redeundo Hierosolymis consumere debuissent. Sed hoc argumentum saltem valeret, si quis diceret, quod Judæi extranei ad omnia festa quotannis convenerint. Quod tamen ego affirmare nolim. Potius puto, quod Judæorum aliqui, pietate eminentes, non singulis annis, sed aliquando saltem, neque ad singula festa, sed, prout rerum ratio tulerit, modo ad festum Paschatos, modo ad festum Pentecostes, modo etiam Tabernaculorum festum Hierosolymas sese contulerint. Hoc autem commode & eodem modo fieri potuit, quo sacri legati, as ex primitiis collectum adducentes, eo profecti sunt.

§. XI. Tertio *Lightfootus* observat, quod de Judæis ex omni gente sub cælo dictum sit, quod Hierosolymis habitârint, h. e. ipso explicante, quod illic loci degerint; illi autem, qui festis interfuturi duntaxat adfuerint, paucis modo diebus istic commorati domum redierint. Sed verbum *κατοικεῖν*, quo Lucas h. l. utitur, non solum notat habitare & de fixa
 usur.

usurpatur sede, sed etiam *commorari*, & de peregrinis quoque, ad tempus alicubi subsistentibus, adhibetur. Vid. LXX. 3. Reg. XVII, 20. Jer. XLII, 15. XLIV, 8. XLIX, 18. ubi respondet Hebr. *וַיָּבֹאוּ* quod aliquando illi per *διατρίβειν*, & *παροικεῖν* interpretantur. Et sane hoc sensu etiam verbo illo sacrum Historicum nostrum hic usum esse, ill. Grotius probavit, ex eo præsertim, quod sub hoc nomine veniant, & quibus domicilium in Mesopotamia, & qui Romanorum in Judæa peregrinati sint.

§. 12. Fixa igitur adhuc stat sententia, quod Judæi ex omni gente terrarum, quæ sub cælo sunt, festo Pentecostes Hierosolymis agentes, ob idem festum ibidem sint *commorati*.

LIBELLUS SUPPLEX.

Serenissimo & Potentissimo Principi ac Domino,

DOMINO

AUGUSTO II.

D. G. Regi Poloniæ, Magno
Duci Lithuanianæ, &c. &c. &c.

Ut &

Congregatis in Comitibus Regni Anno 1718.
Illustrissimis Reipublicæ Ordinibus,
humillimè

&

reverenter

exhibitus, (a)

à Dissidentibus (b) in Religione Christiana in
Regno Poloniæ & Magno Ducatu
Lithuanianæ.

Sere-

(a) Exhibitus quidem, sed ob consiliorum tum tem-
poris ingruentem molem examen ejus in reassumen-
dis demum Comitibus sperandum est.

(b) Qua appellatione generatim *Græca Ecclesia* addi-
cti, *Reformati & Augustana Confessionis Socii* in Po-
lonia & Lithuania comprehenduntur, hic vero duo
tantum posteriores qui iisdem calamitatibus pressi
communem pro recuperanda libertate causam
seguunt.

Serenissime & Potentissime Rex, Domine, Domine Clementissime.

Vosque reliqui

*In Comitibus Regni congregati Illustrissimæ
Reipublicæ Ordines.*

Illuxit tandem desiderata illa, illa tot votis expetita dies, quâ Respublica gravissimis jactata tempestatibus, portum jam quietis tenere videtur; quâque Cives plurima perpessi mala, eorundem finem sperant ac prospiciunt.

Nobis infra scriptis, ex illis malis gemina veluti portio obtigit; nam præter publicas communesque calamitates, proprias etiam, nempe Ecclesiasticas, sensimus: quæ quidem nobis tanto graviores acciderunt, quod non ab hoste; sed à Concivibus, à Justitiæ Præsidibus, nobis sunt illatæ.

Soliti sunt majores nostri simili sorte pressi, in Illustrissimo hoc Comitiali Patriæ Conventu, ceu in gremio materno, querelas suas deponere, malorumque remedia petere & obtinere; Nos quoque cùm priorum præsentiumque adversitatum sensus, tum novarum imminentium metus, pari jure, parique fiducia, in Augustum Vestrum conspectum, prodire compellunt, Serenissima Reipublicæ Panegyris!

Si qui simus quæritis? Sanguis vester sumus, caro de carne vestra & os de ossibus vestris. Ejusdem indulgentissimæ Reipublicæ Concives, ortu & nascendi prærogativâ, jurium Vobiscum æqualitatem sortiti,

Si, quæ sit religio & Fides nostra, inquiretis? eundem Vobiscum Deum Triunum, eundem Salvatorem Crucifixum, eundem Spiritum Sanctificatorem agnoscimus, veneramur, colimus. Eadem divina Oracula in Scripturis tradita, pro norma fidei tenemus, & ab iis latum unguem discedere, pro piaculo habemus. Tria illa Sancta Ecclesiæ Catholicæ Symbola (α) & Concilia Oecumenica priora quatuor, (β) ab universali Ecclesia recepta, & ipsi toto pectore probamus, suscipimus, amplectimur. Nullus unquam Atheus, Epicuræus, aut atra Arii Socinive hæresi notatus, inter nos repertus fuit. Idem Vobiscum fidei & salutis fundamentum (c) illibatum tenemus. Quamvis in superstructuris quibusdam, idem per omnia sentire, conscientia, cui reliqua posthabemus omnia, prohibet.

Si Jura & Privilegia nostra requiritis? Sunt illa nobis à gloriosissimæ memoriæ Rege SIGIS-
MUN-

- (α) Apostolicum, Nicænum, Athanasianum. (addi etiam potest Ephesinum.)
- (β) Nicenum primum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum primum, & Chalcedonense.
- (c) Nempe prout illud verbis proxime præcedentibus secundum partes suas recensetur.

MUNDO AUGUSTO, aureæ istius & consummatae Libertatis, quâ universa Respublica gaudet, Authore & Statore, data: octo Regum, ab Henrico Valesio ad modernum Regnantem, non interrupta serie sibi succedentium, JURAMENTIS SÆPIUS ITERATIS munita; sanctissimis, Reipublicæ sæpius confœderatae, vinculis SUB CONSCIENTIA, FIDE ET HONORE adstricta; publicis Regni Legibus & Constitutionibus firmata, & pro lege æterna (quod etiam Statutum (d) Magni Ducatûs Lithvaniæ Cap. III. Articulo III. Item, Cap. XI. Artic. III. Item, Cap. XI. Artic. XXVII. §. 7. clarissimè docet,) declarata; Ut si quid vel humanum genus, vel Respublica Christiana sanctum habet & inviolabile, id omne Causam pro nobis dicere censeari debeat.

Si verò *Gravamina* nostra & juribus adversa vel facta aliorum, vel fata nostra alleganda sunt; Illa quidem in tantum eheu! cumulum excrevere, ut ubi dicendi initium, ubi finis faciendus sit, haud reperiamus.

Diu quidem siluimus, non quod querimoniam materia deesset; sed quod Comitiorum vix daretur opportunitas: aut si daretur, Rempublicam tamen publicis cum malis coluctantem, gemitibus nostris obtundere vereremur. Accedebat, quod injuriæ nobis intentatæ, magnam partem privatorum fuerunt,

Xx 3

runt,

(d) Citatum in *Supplemento Legum &c.* N. III.

runt, quas patientiùs tulimus, spe freti Republicam, cujus & nos pars sumus, remedium opportuno tempore allaturam esse; nunc cum ab iis maximè, qui publica in Regno auctoritate pollent, juris specie premimur, juraque nostra & libertates propalam conculantur; ruptò tandem periculosò silentiò imploranda nobis benignissima Mater, Serenissima Respublica. Audi nos ergo Serenissime Rex Domine Clementissime, audite Illustrissimi Senatùs utriusque Proceres, audite Equestri Ordinis Cives inclyti, ut vos quoque audiat DEUS.

I. Primò quidem, ipsa basis jurium nostrorum, à quibusdam convellitur, quando Dissidentibus jus negatur, solà, ut volunt, tolerantia concessa, nempe ad arbitrium cujusque tollendâ, eripiendâ: Cum tamen illa quibus jura & libertates nostræ nituntur Privilegia, & Confœderationes indè ab Anno MDLXXIII. in omnibus Interregnis repetitæ, auctoritateque publicâ, volumini Legum & Constitutionum insertæ, Partem Legum Regni ipsiusque juramenti à Regibus in Coronatione præstandi, faciant; ideò Legis æternæ axiomate in Confœderatione Anno MDCXLVIII. meritò insignitæ, prout fusiùs ista scripta (e) typis

(e) Duo illa fuerunt, alterum Latino sermone fol. plag. 10. Titulum præfert: *Jura & Libertates Dissidentium in Religione Christiana in Regno Polonia & M. D. Lithuaniae*

typis expressa, & libello huic supplici humillime juncta, exhibent.

II. Porrò omnis Dissidentium securitas tollitur, ac uno velut ictu prosternitur, quando causæ eorum Ecclesiasticæ, invitis & reluctantibus legibus, vel judicio Tribunalis Regni permittuntur vel ad Consistoria Ecclesiæ Romano Catholicæ trahuntur. Quæ ab invehenda in Poloniam Inquisitione exotica parum absunt, nostrique extirpationem sibi propositam habere, haud levibus indiciis manifestant. Verùm enim verò, Ipsa Tribunalia, limitatam & circumscriptam per constitutiones Anno MDLXXVIII. MDCXI. MDCXXVII. MDCXXXVIII. MDCL. MDCLXVII. potestatem habentia, (f) cau-

X x 4 fas

nia ex Legibus Regni & aliis Monumentis authenticis excerpta. Ad Annum Christi. 1708. in quo inde a tempore Reformationis anno 1517. secundum annorum seriem historia Status & Privilegiorum Ecclesiarum Dissidentium ad nostra usque tempora recensetur. Alterum Polonico Idiomate conscriptum fol. plag. 5. cui Titulus: Supplement Prawy y Wolnosci Dissidentow w Nabozenszwie Chrzeszczanskiem, w krolestwie Polskim y Wielkim Xiestwie Litewskim Zroznych Authentikow przydany. Roku. 1718. Wkrolewcu. i. e. Supplementum Legum & Libertatis Dissidentium in Religione Christiana in Regno Polonia & M. D. Lithuaniae ex variis Authenticis additum. Anno 1718. Regiomonti. Hoc scriptum eandem historiam eadem methodo persequitur & quæ in priori scripto omissa sunt supplet.

(f) Vide Infra not.

fas Dissidentium Ecclesiasticas sibi non commissas, verum suæ potestati exceptas, soli- que Regi & Statibus Regni in Comitibus generalibus reservatas, indebitè & incompetenter ad Jurisdictionem suam trahunt; & quod magis intolerabile, eosdem Dissidentes, aliàs plenâ libertatis cum Catholicis Civibus cœquatione gaudentes, quasi declaratos Hæreticos, Deum Triunum ad Symboli Niceni normam non agnoscentes, ex registro Arianismi (g) contra diserta verba legis Anno MDCLXXVIII. & MDCLXXXV. (h) judi-

(g) *Ariani* A. 1658. & 1660. Polonia proscripti huic Registro occasionem dederunt in Judiciis Tribunalitiis, ut ex eo omnes Arianismi suspecti judicarentur. Hinc, cum ex Dissidentibus aliqui vel Arianismi suspecti essent, vel illum non ingenue satis deseruissent, vel tectè Arianis faverent, factum est, ut omnium Dissidentium causæ cujuscunque illæ naturæ esset, hoc Registro, injuria tamen, judicari cœperint & adhuc judicentur.

(h) Lex hæc Anno 1685. in Comitibus lata est his verbis: *Quandoquidem ultra mentem Constitutionis anni 1658. aliarumque subsequentium in SECTAM ARIANAM sancitarum; & contra naturam causarum in Tribunalibus Regni, ad REGISTRUM Arianismi, homines diversæ conditionis dicta heresi nullatenus inquinati, per abusum adcitentur & judicentur: Idcirco malo huic occurrentes constituimus, ne ad hoc Registrum Persona aliquæ trahantur in causis quibusvis, præsertim Juris, Fœdi, Administrationis Justitiæ, & aliis; sed tantum, qui Professione mere sunt Ariani, Apostasie, Judaismi, Sacri-legii, Violentiæ & obsanguinationis in Ecclesia vel*
Coe-

dicant. Ita facilè bonis, fortunâ, honoribus, vitâ, & quæ his omnibus cariora habent, Templis privandos. Horum ergo Judiciorum eminentiam in Regno & M. D. L. æquitatem & justitiam, ut in causis civilibus veneramur & exosculamur, ita in Spiritualibus & Ecclesiasticis ob intervenientem Reverendissimorum (i) potentiam & Zelum, meritò desideramus.

Tristi quippe experienciâ edocti sumus in his judiciis, si de re Ecclesiastica controversatur, Dissidentibus infallibiliter causâ cadendum esse: Impunè enim hic laceessimur adversariis perpetuò favorem Judicis habentibus, quasi de promovenda Dei gloria & de honore Religionis Romano-Catholicæ agatur.

Indè sæpius accidit, ut quando inter Catholicum & Evangelicum, causa profana agitur, validè Ecclesiastica in subsidium vocetur, atque hæc illi studiò commisceatur, ut Evangelicus utraque cadat. Quâ ratione plurima Tempia nobis erepta, plurimæque indigna alia illata esse, nemo ignorat. Sic aliquando contingit, ut cum Nostras argentum debitori Catholico mutuò datum repetit, hic

X x 5 cre-

Coemeterio rei, ac eorum Fautores & Complices: & id quidem sub pœna Evocationis Quingentarum Marcarum, & Nullitate Judicatorum & Condemnationum. Vid. scriptum primum Jura & Libertates &c. ad Annum 1685. §. 90.

(i) Proceres intelliguntur Cleri Romano-Catholici.

creditori suo crimen blasphemiae objicit, hoc pacto debitam solutionem evitaturus.

Tritissimum verò hoc ipsum artificium est, ut coram Tribunali, ob unam fortè alteramve voculam, vel omnino confictam, vel Religionem oblique tantum concernentem, Dissidentibus titulo blasphemiae acerrimae lites moveantur. Et nefandum quidem blasphemiae crimen, capitis supplicio expiandum esse, ultrò fatemur; cum divinae humanaeque leges id exigant; sed vera sit oportet blasphemiam quae ita puniatur, legibusque Divinis & humanis definita, non cujusvis arbitrio, vel praesudicio aestimanda, aut malae causae (quale quid Nabotho accidisse legimus) praetextenda. Tribunal vero Regni in nostrates etiam non blasphemos, tanquam in blasphemos, atrocissima Decreta vibrat. Idque sapius non citatis legitimè, nec auditis reis, multò minùs testibus adhibitis legitimis, sed iis qui pudorem abjecerunt, & de eo testimonium dicere non verentur, quem ne viderunt quidem unquam. Hòc pacto petulantissimus quisque in Dissidentes liberè grassatur, eorumque fortunae & vitae est Dominus, quisquis suae contemptor sit conscientiae.

Ut enim multorum (k) tum Nobilium tum plebejorum fata praetermittamus, haud ita pridem quidam in Exercitu Regni Centurio fuit nomine Kehler, ex iniquissima accusatione
cujus-

(k) Praecipue Eberiziorum, Garzenii, aliorum.

cujusdam advocati, ob meram injuriam verbalem, ab ipso illo avvocato ante in Lutherum vibratam, & a Kehlero in Curiam Romanam retorsam, à Tribunali inauditò inter Christianos exemplò, ex capite blasphemiae, quasi ipsa Divina Majestas læsa fuisset, ad ejusmodi mortis genus condemnatus fuit, quo vel ipsum Divinæ Majestatis læsæ crimen, severiùs non exegisset: nempè, excisionem linguæ per cervicem, & dissectionem corporis in quatuor partes, quod etiam atrox supplicii genus, non nisi impositâ ejurationis Fidei Evangelicæ necessitate, in poenam colli mitigatum fuit. Eaque cuncta tam citò gesta sunt, ut inter criminis admissionem, & latæ sententiæ executionem, non nisi quadraginta horarum spatium intercesserit.

Præteritorum tamen exemplorum atrocitatem, si omnes expendantur circumstantiæ, superare videtur, recentissimum illud, anno 1715. mense Septembri, Generosi Sigismundi ab Unrug, hereditarii Poniec: de quo silere præstat quam pauca dicere. Prolixius illud est, quam ut hic possit enarrari, & notius quam ut narrari debeat. De cujus rei fide si posteritas aliquando dubitaverit, id ignoscendum erit; nam nos ipsi oculis auribusq; nostris visa & audita vix credimus: quin inter Christi nomen professos, talia geri posse stupefcimus. Quare, toto Orbe celeberrimæ Sorbonæ Doctores, Parisiis talem sententiam tulerunt: *Censem in Judicio adversus Titium lato, omne sive Divi-*

Divinam, sive humanum jus apertissime violari. (l)

In cumulum verò injuriarum quibus afficimur accedit, quod in Citationibus & Decretis, nefandâ Hæreticorum appellatione traducamur, utique contra Stylum Legum & Constitutionum Patriarum, quæ nusquam notam hæreseos nobis impingunt, verum Dissidentium in Religione Christiana appellatione, nos cohonestant; sed judicia ista, ipso nomine præjudicium nobis faciunt, ut, dum Hæretici dicimur, hõc ipso infames, populo exosi, & bonis omnibus abominabiles reddamur.

Pridem hanc in nos asperitatem vidit Serenissima Respublica, ideoque usurpatam in nos licentiam, severis legibus sibi coërcendam duxit, imprimis Constitutione An. MDCXXVII. Confœderatione Anni MDCXXXII. nec non Constitutione Anni MDCXXXVIII. quarum Constitutionum verba, cum prolixiora sint, quam quæ hic inserantur, ea ut in adjuncto scripto pag. 19. 22. 27. (m) & in Supplemento

(l) Illud Sorbonæ Judicium nuper in Relat. Innociarum, quas vocant, Cl. V. a. 1718. pag. 836. insertum, ibi legi potest.

(m) Ex hoc Scripto in gratiam Lectorum memoratas Constitutiones describere non gravabimur; & prima quidem *Constitutio* anni 1627. facta est in Comitibus Publicis: *Quoniam Tribunali nulla data est potestas legum condendarum, sed solummodo secundum Leges à Re-*

to Jurium nostrorum, legere & expendere dignemini, humillimè oramus. Deprehendetis ibi, Leges Patrias non solùm Tribunali talium causarùm cognitionem disertis verbis interdixisse, verum etiam talia decreta, ceu

Republiica latus judicare tenetur, proinde causas in Volumine Legum non descriptas, neque ad judicandum admittere, neque pœnas irrogare, neque iisdem quenquam aggravare debet, præter quam ex Lege fuerint determinatae. Et sicubi ejusmodi sententiæ latae, vel earum Clausulae, deprehendantur, quae vim Legis sapiant, vel pacem publicam turbeat, prout quaedam Additamenta in nonnullis Decretis novissimi Tribunalis Lublinski id continent, iisdem nemo urgeri debet, imo Decreta talia Nullitati subsunt. Hæc Constitutio confirmata est in Confœderatione anni 1632. quæ generalis fuit omnium ordinum Regni & M. D. Lith. Præterea cavemus, ne Decreta Tribunalitia Regni & M. D. Lithuaniae, quae vim Legis sapiunt, contra Securitatem & Pacem Dissidentium lata, in quocunque officio ad executionem deducantur, prout Constitutione an. 1627. expresse cautum habemus. Et sicubi contra hanc Constitutionem Decreta aliqua aut Protestationes factæ fuerint, ea in quocunque Judicio nullius esse valoris declaramus. Denique eadem repetuntur in Constitutione Comitiorum anni 1638. Quamvis Legibus Regni publicis, imprimis Constitutione anni 1627. plenarie cautum sit, ne Tribunal de ejusmodi causis, quae Legibus descriptae non sunt, cognoscat, aut quenquam iisdem aggravet. Quia tamen hoc in passu legibus publicis non fit satis, præsertim Constitutione cavemus, ut Tribunal prædictas leges omnino observet. Si vero contra Constitutionem memoratam, Decreta talia in posterum lata fuerint, ea Nullitatis vitio subjacento, atque ad Executionem minime deducuntur.

ceu Pacem Publicam turbantia, nullitati subesse jubere. Tantum verò abest ut salutare istæ leges effectum sortitæ sint; ut contra, decretis illis clausula infamiæ in contranitentes, ne quis contra vel hiscere audeat, annectatur. Hic ergo fundus nostræ calamitatis, hic fons & origo malorum! quæ enim nobis fiunt injuriæ, vel jussu Tribunalis fiunt, vel fiducia.

III. Hinc fit, ut Tempia nullo jure, subinde ne juris quidem specie, aliquando ad sola Decreta Consistoriorum, nobis claudantur, obfignentur, adimantur, adempta verò vel Sacris Romano-Catholicis vindicantur: (Quod, post plurima alia, Ossowasiensi & Radzięczyński contigit, in cujus posterioris occupatione (Anno 1715.) quam graviter in ipsa pridem demortuorum ossa sævitum fuerit, omnes norunt) vel planè diruuntur & solo æquantur; tum Judicii adhibitâ solennitate, quæ Parcicensis illius calamitas fuit; tum privatô hominum malefactorum ausu, quod Szczepanowicensi ipso nuper evenit, cum per malitiam cujusdam incendiarii, nocturno tempore, subjecto omnibus ex partibus igne, flammis absumeretur, tristi fato, nisi tristius esset quod consecutum est: Etenim sub mulcta 2000. Ducatorum reædificatio istius Templi, & ulterior, quamvis sub tentorio, Religionis Evangelicæ cultus, sub captivatio-

ne personæ Ministri ejus Ecclesiæ & pœna colli prohibita. (n)

Atque hoc ipsum ad illud, quod hic restabat, querelarum caput, nos manuducit; nempe Templorum restorationem, jam ubique nobis prohiberi. (o)

SERENISSIMA PANEGYRIS! verba reperire miseris facilè, modum verborum difficilè esse, ipsi jam experimur; itaque quæ plura dicenda habemus, in pauca contrahenda sunt.

Administratio libera Baptismi, Connubiorum Benedictio, Sepultura defunctorum, nostratibus passim planè non concèduntur, alibi gravi ac nimio ære à Parochis redimenda

(n) Præterea Clerus Romano-Catholicus ejus Dioceseos reinceptam templi structuram non solum armata manu disturbavit, verum etiam nulla alieni fundi, juris, dominique habita ratione, privata auctoritate, quasi pro possessione loci in rem suam capienda, in medio ejusdem Templi figuram Crucifixi erexit.

(o) Nominatim id contigit Templis in Wegrovv, Lappczyna, Wola, Wielki Tursk, Piaski &c. quæ vetustate exesa ruinam minabantur: idem Suerinensi, quod A. 1712. belli injuria exustum fuerat: & novissime, postquam urbs Lesna una cum Templis Evangelicis horrendo incendio in cineres redacta fuisset, Episcopus Posnaniensis Templorum reedificationem sub mulcta 3000. Ducatorum Magistratui loci; 1000. vero Imperialium cuivis gregario opifici, manum huic structuræ admoturo, infligenda, prohibere conatus est; & renitentes per citationes ad Tribunal Regni evocavit.

da sunt ; cui oneri ferendo, cum non omnes sint pares , inviti ista omnia à modo dictis Parochis suscipere coguntur ; qui baptizatos deinde Ecclesiæ Romanæ vendicant & ad Sacra ejus, etiam nolentes trahunt. Imò ipsam S. Cœnæ Communionem prohibere nonnulli Parochi ausi sunt, non nisi ad schedulas suas, solutione pecuniæ prius redimendas, administrandam.

Circa Matrimonia, tum contrahenda tum contracta, Jure Canonico premimur & Decretis sancitisque Concilii Tridentini: nec juribus in Ecclesia Protestantium receptis, vivere permittimur. Moribundis Communio à Parochis Cætholicis, violenter nonnunquam traditur.

Multis in locis, Scholarum libertas planè sublata est. Verbi Divini Ministris, itinera facientibus, maxima bonorum & vitæ pericula creantur: quod tamen Personis etiam Civilibus quandoque obvenisse, exempla docent.

Variis in locis, homines nostri ad Processiones & Ceremonias Confessioni suæ contrarias adiguntur, atque ob earum intermissionem pœnis afficiuntur.

Quibusdam in locis, publicò interdictò, (p) sub pœna excommunicationis prohibitum fuit, ne quis Catholicorum, exequiis hominis Evangelici adesse præsumeret, non obstante

(p) Episcopali scilicet,

stante ullò vel Matrimonii, vel consanguinitatis, vel aliùs necessitatis vinculo.

Visitaciones crebræ Ecclesiarum Dissidentium (quæ tamen propriis Episcopis non destituuntur) contra antiquorum temporum praxin, nullò jure, cum incommodo pauperularum Ecclesiarum sumptus ejusmodi ferre minus valentium, passim instituuntur.

Dissidentes, etiam de Patria benè meriti, solò Religionis intuitu, dignitatibus non solum illustrioribus sed etiam quibusvis privantur: prout recentissima post Tractatum Varaviensem in Magno Duc. Litt. testantur exempla. Ubi, solà Rdsmi Episcopi Vilnensis Manifestatione, Omnes Evangelici pro Hæreticis declarati, ab officiis remoti, Dignitatibus spoliati. Deputati, more solitò ex Nostratibus in variis Districtibus electi, ad capessenda sua subsellia in Tribunalibus, non admissi; functionibus Nunciorum Terrestrium ad Comitata, prohibiti. Et licet huic inauditæ Violentiæ, à quibusdam Magnificis & Generosis Catholicis, reclamatum & contradictum fuerit; nihil tamen profectum: nam mox illis ipsis excommunicatione territis, & coram Consistorio tanquam fautoribus Hæreticorum citatis, silentium impositum est. Etiam in Civitatibus, plurimis in locis, non solum non admittuntur ad Magistratus oppidanos gerendos, sed ne ad jus quidem civitatis obtinendum.

Plura querelarum capita allegari possent, sed quæ studio brevitatis prætermittimus, ut humillimæ petitioni nostræ tandem locum faciamus: nimirum,

Serenissime Rex,

*Illustrissimi Proceres, Perillustris Equestris Ordo, Concives
Coniunctissimi,*

Per amorem DEI, perque communem Patriam, per omnia Jura & Libertatem communem, oramus & obsecramus; Ut, quandoquidem à nonnullis jurium nostrorum omnimoda everio, eoque ipso totalis nostri extirpatio intenditur, Vestra jam auctoritate,

Conscientiarum Libertas illibata nobis maneat, ut in vita sic & in morte.

Ut Ecclesiæ & Scholæ, olim ablatae nobis restituantur, Novas vero in bonis hæreditariis, ubi opus fuerit exstruere, & veteres quascunque reparare, (cum Leges id nusquam prohibeant,) secundum antiqua Jura & praxin nostram, fas sit.

Ut Causæ Dissidentium Ecclesiasticæ, non ad Tribunalia vel Consistoria trahantur, sed ex præscripto Legum in foro competente, nempe Comitibus Regni judicentur.

Ut

Ut Nobilibus de Patria benè meritis, juxta antiquam praxin, sine discrimine Religionis Christianæ in Patria receptæ & Legibus firmatæ, ad Dignitates & Officia aditus pateat. Hominibus Civici ordinis, Mercatoribus, Opificibus, & similibus in Urbibus Regiis aliisque, jus Civitatis & aditus ad Magistratûs gerendos ne denegetur.

Ut Ecclesiarum Evangelicarum Pastoribus, liceat habitu & titulo personis Ecclesiasticis consueto, uti: Itinera turò facere, Actûs ministeriales, docendi, Sacramenta administrandi, Desponsatos copulandi, ægros visitandi, apud suæ Confessionis homines, libere exercere.

Ut nos præjudicioso, ignominioso & infami Hæreticorum titulo dehonestare desinant, nec ad Regestrum Arianismi Legibus reclamantibus amplius trahant; DEO enim & omnibus veritatem amantibus notum est, fidei nostræ cum execrandis illorum erroribus, nullam intercedere communionem. Cujus rei manifestum Testimonium habemus in Manifestatione Summorum in Ecclesia Romano-Catholica & Republica Virorum: quæ legi potest in Supplemento Jurium Polonicè impressorum No. VII. (q)

Y y 2

Ut

(q) Cum enim *Arriani* A. 1648. post obitum *Vladislai* IV. coram Ordinibus confederatis protestando *Dissidentibus* accenseri flagitarent, hi vero reprobationibus in suam communionem admittendos negarent;
Pro-

Ut Decretum Tribunalis Regni An. 1715. Mense Novembri contra (omnium testimonio) innocentem Generosum Sigismundum ab Unrug latum, rescindatur; ille verò ipse quoad honorem, libertatem & fortunarum usum in integrum restituatur.

Ut denique huic Augusto Conventui, quem & Consiliorum maximè arduorum mole pressum, & temporis brevitatem circumscriptum novimus, placeat, quo res brevius & commodius conficiatur, quosdam è medio sui Viros Graves Rectique amantes Commissarios designare, iisque committere ut gravamina nostra sigillatim exponenda audiant, in merita causarum inquirent, eas in fundamento Legum dijudicent, & Sacrae Regiae Majestati atque Serenissimae Reipublicae fideliter exponant, ut ita lites istae Pacem publicam turbantes, tandem sopiantur, nostraeque libertati & Securitati, veterum Legum renovatione, & novae legis sanctione, prospiciatur.

Haec sunt humillima nostra desideria, aequitate naturali (quae in populo libero, libertatem cum primis conscientiae exposcit) nixa: Confoederationibus universae Gentis generalibus
 sus-

Proceres Regni utriusque Ordinis, post factam inquisitionem, *Manifestatione* publica declararunt: Tantum abesse ut veri nominis Dissidentibus cum Arianis conveniat, ut hinc Christianae quidem Religioni accenseri mereantur; quae *Manifestatio* numerosa illustrium Nominum subscriptione munita exstat.

suffulta, Legibus scriptis fundata, juramen-
tis Regum munita, jamque Gratiâ Regiâ &
favore Vestrô, Proceres atque Concives,
promovenda.

Ad TE igitur

*Serenissime Rex, Domine Cle-
mentissime,*

HUmillimè accedimus, freti & innatâ MA-
JESTATIVESTRÆ Clementiâ Justitiæq;
amore, & Gratosissimô Promissô, quô erga
universos Sceptro TUO subditos, benignis-
simam voluntatem Regiam declarasti, & exor-
bitantiarum emendationem Clementissimè
pollicitus es: cum reliquis ergo Reipublicæ
Civibus, nobis quoque auxiliatricem Re-
giam porrigere Dextram: Nos quoque Illustris-
simæ hujus Coronæ indigenæ sumus, TU
communis Patriæ Pater, Curam, quæsumus,
nostri haud abjicito; qui fidelitatem TIBI il-
libatam usq; præstitimus, labe nullâ maculatam
nullâ maculandam. Causæ nostræ Ecclesiasticæ
Majestati Regiæ Comitibusque Regni reservatæ,
Judicem TE exposcunt, justum & benignum
exspectant.

Nosti, omni dubio præcul, REX SERE-
NISSIME, MAJESTATEM VESTRAM Ju-
ramento in Coronatione coram Rege Regum
OMNIPOTENTE DEO præstitô, teneri.

Norunt etiam omnes, qui sunt MAJESTA-

TI VESTRÆ à Sanctioribus Consiliis, Juramentis Regum quæ Bases sunt Regnorum, Anchora Fidei publicæ, Pupilla securitatis, vincula Rerumpublicarum, minimè ludendum esse.

Sciunt omnes, juravisse quondam Principes Israeliticos Gabaonitis, Hominibus Ethnicis, cumque juramentum violaretur, DEUM injuriam Suo Numini illatam, gravi clade ultum esse.

Sciunt juravisse unum è Prædecessoribus MAJESTATIS VESTRÆ VLADISLAUM III. Amuratho Turcarum Imperatori Inducias, cumque, malò consiliò (r) inductus, easdem rumperet, Varnam insigni clade notavisse, atque ab illo tempore fert Scythicum Pannonis ora jugum.

Utinam ergo omnes expendant, quâ jurjurandi Religione MAJESTAS VESTRA nobis, qui Ethnicis aut Turcis, Divinâ gratiâ, meliores sumus, obstricta sit? VESTRA autem MAJESTAS gloriosa Serenissimorum Prædecessorum Poloniæ Regum (s) vestigia

(r) Virorum præcipue Ecclesiasticorum, & in his Juliani Legati Eugenii IV. Pontificis Romani.

(s) Nempe I. Stephani Bathorei, qui, cum in expeditione Dantiscana essent, qui Templum Evangelicorum Brodnicæ affectarent, jurjurandi sui memor regio animo respondit: *Sinamus eos, habent obligationem nostram, quam frangere nobis non licet.* Alium vero dicentem, *prout una lex, ita & una fides in Polonia*

gia (in adjunctis scriptis laudata) in recolenda præstiti Juramenti memoria, piè premere dignetur.

Vos Vero *Illustrissimi & Reverendissimi Domini Senatores Spirituales,*

Quamvis vi Characteris Episcopalis, sedi Romanæ estis obnoxii, tamen Senatores etiam Regni Polonici Vos esse mementote; Antistites non sacrorum tantum, sed & Legum Patriarum atque Justitiæ.

Quâ tales igitur per Conscientiam & amorem Patriæ, jura & Libertates Regni & in his nostra, manu tenere constringimini. Prævivere Vobis tot magna Senatorum Spiritualium Nomina, qui inde ab Anno 1573. unâ cum

Y y 4

cum

lonia esse debet, ita repressit: Rex sum populorum, non conscientiarum. Hue spectat etiam Mandatum ejus Regium in illos, qui Vilnæ an. 1581. tumultum contra Evangelicos excitaverant. Vid. Jura & Libertates Dissidentium, ad annum citatum §. II. 2. Johannis III. qui, cum anno 1682. Templum Evangelicorum Vilnense per tumultum everteretur, Commissarios de causa cognituros his verbis constituit: Proinde reor non tantum vigore jurisjurandi Regii, quo pacem inter Dissidentes tueri tenemur, verum etiam per Pietatem Christianam, quæ prout omnem Feritatem ita multo magis tyrannidem indignatur, Sinceritatibus & fidelitatibus vestris committimus, ut in eam rem inquiretis &c. Ibid. ad an. 1682. §. 49.

cum Secularibus , Confoederationum Gene-
 ralium & Particularium Pars fuerunt, eas ra-
 tihabuerunt iisque subscripserunt. Evolve-
 vite Leges Patrias, Constitutionumque volu-
 mina, videbitis ibi in Comitiis Coronationis
 Stephani Regis Anno 1576. eorum qui Con-
 firmationi Generali omnium jurium (inter-
 que hæc Dissidentium) subscripserunt, agmen
 ducere quatuor Episcopos , Cracoviensem,
 Wladislaviensem, Premysliensem, Chelmen-
 sem ; videbitis in Confoederatione Cracovi-
 ensi Anno 1586. inter eos qui magno nume-
 ro subscripserunt, primo loco eminere Illu-
 strissimum Petrum Myszkowski Episcopum
 Cracoviensem: Confoederationi Generali Var-
 saviensi Anno 1587. inter alios subscripsisse
 Laurentium Goslicki Episcopum Camene-
 censem : Confoederationi Generali Anno
 1632. Archiepiscopum Gnesnensem & quin-
 que Episcopos. Confoederationi Anno 1648.
 Archiepiscopum Gnesnensem & Octo Epi-
 scopos. &c.

Neque hæc ipsis , secularium multitudini
 permixtis, ac ipsorum velut torrente abreptis,
 excidisse censenda sunt ; cum enim occasio id
 postularet etiam soli Præsules Ecclesiastici ju-
 rium nostrorum se testes & Vindices præ-
 stiterunt , datisque Affecurationibus de
 securitate nostra nos certiores reddide-
 runt. Habetis exemplum quatuor primi
 nominis Episcoporum Cracoviensis, Wla-
 dis-

dislaviensis, Pohnaniensis & Plocensis Anno
1638. quod evolvere placeat in scripto adjun-
cto pag. 25. 26. (t) Habetis exemplum Viri
quondam in Patria Summi Matthiæ Lubien-
ki Primatis Regni & Archiepiscopi Gnesnen-
sis cum aliis Episcopis (ibidem pag. 29. 30. (u)

Y y 5 &

(t) Cum enim Evangelici tunc temporis premerentur
& maxime per turbulentos Parochos ad Judicia te-
mere tracti Decretis Tribunalitiis aggravarentur;
iisdem remedium malorum in Comitiiis anni memo-
rati quærerere statuerunt. Ibi, ne, periclitante tunc
Republica, negocium Religionis Consilia publica tur-
baret, allegati *Præsules* querulas Evangelicorum vo-
ces solenni *Assecuratione* demulserunt, in qua hæc in-
ter alia leguntur: *Promittimus, Nos Parochis & Ca-
pellanis nostris universis prohibituos, & Processu nostro
iisdem denunciaturus esse, ne quis ipsorum in causa Reli-
gionis audeat actionem intentare Dissidentibus in Reli-
gione Christiana, nobis ceu Loci Ordinariis inconsultis.
Si vero tale quid accidat Dominationes ipsorum mature
Loci Ordinariis id significabunt, ut tales compesci queant.
Ad hæc Epistola ad D. D. Deputatos Tribunalitios Spi-
rituales Scripta, ipsos monebimus, ne causas hujusmodi
judicent &c.*

(u) Refertur illic, cum in Comitiiis anni 1650. Emenda-
tio Exorbitantiarum circa Dissidentes ad proxima
Comitia rejiceretur, hanc simul solennitatem tunc ad-
hibitam fuisse, ut ipse *Rex* peculiari scripto, tum *Pri-
mas Regni* *Archi-Episcopus* *Gnesnensis* nomine reli-
quorum *Episcoporum* in Comitiiis præsentium, nec
non *Mareschallus Nunciorum Terrestrium* scripto si-
mili Dissidentibus de juribus suis, proxime *ante o-
mnia* confirmandis caverint. Quæ scripta Origina-
lia in *Archivo Cüstrinensi* custodiuntur, apogra-
phus

& in Supplemento Polonico, No. VI.) Habetis Præsulis Posnaniensis, pietate & Prudentiâ summe conspicui Nicolai Stanislai Swięccii (ibid. p. 39. (x)).

Hi & horum similes immortalis laude dignissimi Præsules, suum pro Ecclesia Romana Catholica Zelum, eâ temperaverunt æquitate, ne pietatis in Deum prætextu, jura proximi violarent, neve mala facerent, ut inde evenirent bona.

Horum Vos, REVERENDISSIMI PRÆSULES, gloriosa legite vestigia; gnari, Religionem suaderi, non cogi debere. Si verò errare Vobis videmur, commiserationem vestram non excandescantiam nos mereri existimate; qui cum opibus ac dignitatibus & ipsi florere possemus, contempti, miseri, variisque injuriis obnoxii vivimus, unam hanc ob causam quia conscientia majorem quam rerum terrenarum rationem habemus. Vos ergo, VENERANDA CAPITA, in honorem Re-

phum autem tam in Metrica Regni, quam in Tabulis publicis sive Voluminibus Caprensibus Warsavvianis & Wschovvianis reperiuntur, unde Extractum exhibitur.

(x) Dedit is A. 1701. *Affecurationem* Dissidentibus in Religione, non per turbas in Comitibus (quod alias criminantur) extortam, sed libere & quidem occasione eorum, quæ ex *relatione magnarum Personarum Senatorii & Equestris ordinis* innotuerant, ut diferte verba Affecurationis habent, quæ illic descripta exstat.

Religionis Christianæ atque ipsius Catholicæ, à nobis opprimendis alieni, salutem nostram Zelò verè Apostolicò ita promovete, ut intellectum nostrum veritatis demonstratione, voluntatem verò blandâ Paterni affectus animique benefici testificatione, vobis concilietis; secus enim fieri non potest, quin, prout mortales naturâ comparati sumus, quò Vos nobis graviores experimur, eò à communione Vestra reddamur alieniores.

Vos denique *Illustrissimi Domini Senatores Seculares*, Vosque ex *Ordine Equestri Domini Nuncii Terrestres, Fratres Desideratissimi!* Quos inter, plurimos esse justitiæ & æquitatis amantissimos, violentiarum osores, nobisque, quatenus Leges nobis favent faventissimos agnoscimus, deprædicamus; Deoque & Vobis gratias agimus. Vos universos per communem sanguinem perque communia jura obtestamur, ut calamitatum nostrarum sensu tacti, generosâ erga nos misericordiâ commoveamini; qui cum jure vobis æquales simus, in fruentis tamen Dulcissimæ Matris bonis maximò discrimine habemur. Æquales sumus nascendi sorte, studiis in Rempublicam, fortunarum & sanguinis pro Patria effusione.

Cum verò (quod antecessores vestros, antecessores nostri ab hinc seculo monuerunt) tria sunt quæ Civium Reipublicæ felicitatem constituunt, *Libertas, Honor, Securitas*, his omnibus longè inferiores nos esse, jure querimus.

mur. *Libertate*, cum, quæ omnium est pretiosissima, Libertas conscientiæ gravatur; *Templa* enim nobis adimuntur, *Pastoribus* nostris insidiæ struuntur, qui sæpius exilium vel coactum, vel securitatis gratiâ, voluntarium subire coguntur. *Honore*, cum à *Judiciis* publicis infami *Hæreticorum*, *Heterodoxorum*, *Sectariorum* appellatione dehonestamur. *Securitate*, cum cessante illa, quam à *Legibus* habere debebamus, securitatis vix umbra supersit, à petulantissimo quovis aggressore emendicanda, aut gravi ære redimenda. Neque tutum nobis quicquam esse potest, qui *juris præsidio destituti*, præda sumus obvio cuique exposita.

Memineritis ergo *juramentorum*, quæ *Vestri Antecessores* *Antecessoribus* nostris, sub *fide*, *honore*, & *conscientiis* toties præstitere; eademq; ad *Vos* pariter pertinere arbitremini: *Juraverunt* enim pro se & *posteris suis*; *posteris* vero *juramento patrum* tenentur; quia commodis *juramentô* a *vitô partis*, *pace* & *tranquillitate Patriæ*, feliciter fruuntur, atque utinam fruuntur perpetuo. (7)

No.

(7) Potuissent *Protestantes*, quo tempore major pars *Senatus Religionis Dissidentium* erat, rebus suis etiam cum detrimento *Catholicorum* prospicere, & *tranquillitatem* sibi per *Reipublicæ* turbas parare; sed illi *Consilia* ejusmodi procul habuere, & nefas reputarunt *Patriæ* aut *Civibus* ægre facere, dum sibi *iceret Deum* pro *Conscientiæ dictamine* colere; hinc de

Nolite quæsumus, vel connivendo probare, Juramentum Regium hoc in articulo infirmari, per latus enim nostrum vos ipsi ferimini: ut in fornice, unô saxô laxatô, reliqua ruunt omnia; sic vobis metuendum est, ne, si Leges respectu nostri laxentur, Vosmet ipsi ruinâ opprimamini. Qui juramenti partem unam violari permittit, docet violare omnes.

Neque Tribunalia in nostram armate perniciem, par vobis periculum brevi minitura. Non ibi consistunt injuriæ ubi cœperunt; sed quamlibet in tenuem receptæ tramitem, latissimè evagandi sibi viam faciunt. Et ubi semel à rectô deerratum est, in præceps pervenitur.

Sapientissimi Viri, ne in apertos quidem Patriæ Hostes quicquàm statui suaserunt, quod Legibus adversum esset; nempe, viam licentiæ patefactam, in probos Cives desituram.

Sed neque animum Vestrum subeat, impunè nos temni atque atteri posse, numerô atque dignitate impares: Vindicem potius juris atque Justitiæ DEUM OMNIPOTENTEM respicite.

Omne

de aliis securitatis fulcris non solliciti, satis se data fide, jure jurando & Legibus publicis munitos existimarunt. Quæ ingenua Patrum Simplicitas & fiducia Posteris minime fraudi esse deberet.

*Omne sub regno graviore regnum est,
Quicquid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.*

Iratum Numen est, cum bellis, fame, pesti-
lentiâ, Regna vexantur. Causa cur irascatur,
semper sunt hominum vitia; non raro ne-
glecta justitia & innocentes non defensi. DE-
UM, nuperâ malorum belli congerie, esse ul-
tum etiam quæ in nos sunt peccata, nos no-
stra modestia dicere prohibet; id verò Ve-
stra Vos æquitas docebit arbitrari. Regnum
Israëliticum violati Juramenti pœnas ultori
DEO dedisse, mementote; Vobisque anti-
quam justitiæ gloriam, atque animi, nullò
illatæ Concivibus injuriæ sensu faucii, Decus
& Fiduciam conservate.

*TU verò SUMME DEUS, qui stas in congre-
gatione Deorum, audias de Cælo & facias & ju-
dices servos Tuos, dando cuique secundum justitiam
suam 2. Paralip. cap. VI. v. 23.*

Sacræ Vestræ Regiæ Majestatis

Humillimi Subditi

Serenissimæque Reipublicæ

Fidelissimi Cives

*Diffidentes in Religione Christiana, in Re-
gno Poloniæ & M. D. Lithv. Anno 1718.
per Deputatos ex Provinciis congre-
gati.*

V.

JO. GEORGII MICHAELIS,

Serveſtani, V. D. M. & Ill. Scholæ
Deſſav. Reſtoris

EXERCITATIO

de

SANCTIS CUM CHRISTO

reſurgente in vitam revocatis.

SUMMARIUM.

- §. 1. Inter miranda Dei opera elucent terræ motus, Propoſitio. 2. Sepulchra in ſpeluncis, terræ motu aperta, qui probabiliter alias etiam regiones pervafit. 3. Terræ motus hic figura victoriæ Chriſti & judicii in Judæos. 4. Mortui apud Hebræos & Græcos etiam in proſa κοιμᾶσθαι dicuntur. Rationes hujus rei adduntur. 5. Hieroſolyma cur *urbs ſancta*? Sepulchra extra urbem. 6. 7. 8. 9. Refutantur, qui reſurrectionem ſanctorum cum morte Chriſti conjungunt, eosdem tamen in ſepulchris uſq; ad reſurrectionem delituiſſe putant. 10. Uti & qui exiſſe quidem jam tum ex ſepulchris, ſed non ante reſurrectionem Chriſti urbem ſanctam intraſſe cenſent. 11. Omnia poſt reſurrectionem Chriſti contigiſſe adſeritur. 12. Judæi reſurrectionem ſanctorum in diebus Meſſie

fiæ expectabant. 13. Sancti hi non credentibus tantum, sed etiam Judæis reliquis apparere. 14. Non iterum mortuos, sed cum Domino in gloriam introivisse probabile est.

§. I.

SI quid usquam est in rerum universo, quod Dei potentiam juxta ac alias virtutes luculentius testetur; certe sunt illius generis effectus, qui hominum sensus magnitudine sua percellunt, eorundemque mentes sancto quodam stupore concutiunt. Qui sive secundum sapientissimas leges a summo rerum arbitro institutas procedant, sive etiam illæ ad tempus suspendantur, quod in miraculis maxime fieri comperimus: ita tamen diriguntur, ut, qui prudenti *voſſe* ad illos attendit, Dei digitum clarissime animadvertere possit. Horum jam numerum si inire vellemus, majora Dei opera enumerare deberemus. Verum quoniam periculum est, ne plura recensendo, tantarum rerum varietate mentis nostræ acies nimio splendore præstringatur potius, quam defixa consideratione in eorundem cognitionem perveniamus, Considerabimus tantum in præsentia illam Dei liberrimi hujus universi rectoris & potentiam & sapientiam & justitiam, quam perspicere licet in terræ motu, sive illa ordinariis legibus naturæ concutiatur, sive sapientissimi Numinis nutu solum commoveatur. Hinc profana vox est hominis omnia

omnia fato ineluctabili subdicere volentis: *illud quoque proderit præsumere animo, nihil horum Deos facere, nec ira Numinum aut cælum concuti aut terram, suas ista causas habent; nec ex imperio seviunt, sed ex quibusdam vitiis, ut corpora nostra turbantur. Et tunc cum facere videntur injuriam, accipiunt.* Seneca Quæst: Natur: L. VI. c. 3. Quid enim? num terra, quam Deus super aquas firmavit, sponte sua commoveatur? num natura, quæ tamen ad sui ipsius conservationem tenet, se ipsam invito Numine destrueret? numne hac ratione majora judicia, quibus nonnumquam Deus integras regiones involvere solet providentiæ divinæ subtraherentur? Certe solus Deus est, qui *terram loco suo movet, ut ipsius columnæ ac firmamenta concutiantur* Job: IX. 6. Equidem objiciat aliquis terræ motui, quo Deus sanctum quendam horrorem incussit Eliæ, non adfuisse 1. Reg: XIX. 11. Sed vero tantum abest, ut Numine vel invito, vel non operante terra fuerit concussa, ut potius plane simus persuasi non terræ concussioni validiori, non vento vehementiori, non igni consumenti, sed potius leviori aëris agitationi *Symbolum præsentia sue gratiosæ* adligavisse. Quid, quod hoc stupendo naturæ opere uti voluit tum in legislatione Sinaitica, tum in morte Christi Sospitatoris pariter atque resurrectione ejusdem: quibus illustrissimis eventibus omnis religio & priscorum Israëliitarum & Christianorum

firmissime innititur. Quod latius diducere cum instituti ratio minus patitur, ea quæ posteriorem eventum spectant, occasione data in sequentibus examini nostro subjiciemus, commentaturi de *Sanctis cum Christo resurgente in vitam revocatis*. In cujus argumenti disquisitione ita procedemus, ut primo verborum vim ac efficaciam explicemus, tum vero difficultates inde natas, solvamus.

§. 2. καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεώχθησαν. Ex proxime superiori versu repetendum est, terram adeo ingenti motu fuisse succussam; ut etiam petrae diffiluerint & sepulcra fuerint aperta. Sciendum autem, nobiliorum e Judæis sepulcra in saxis fuisse excisa; quod, si quidem alia nobis testimonia deficerent, vel unico sepulcro Christi probari posset Matth. XXVIII. 8. Hoc vero, quia passim traditur, in eo non erimus prolixi. Græci, postquam inter ipsos corpora defunctorum comburendi consuetudo desiit, suos in speluncis terræ mandaverunt. Ita enim auctor *Etymologici*: Τὸ παλαιὸν ἐν τοῖς κοιλώμασι τῆς γῆς ἔθαπτον, μήτε σιδήρῳ, μήτε χαλκῷ κεχορημένοι antiquitus in speluncis terræ sepeliebant, instrumentis neque ferreis, nec aeneis utentis. *Theognis*:

ἢ ὅταν δυοφεροῖς ὑπὸ κεύθμασι γαίης

βῆς, πολυκωκύτας εἰς αἴδας δόμους

Et postquam tenebrosas sub latebras terræ iveris, luctuosas in Ditis domos. Verum ista Judæorum sepulcra non solum ad usum, verum etiam

orna

ornatum erant exstructa; namque in medio illorum erat area quædam, ab utroque vero latere speluncæ duæ excavatæ, quæ plura corpora capere poterant. Quo de vide sis pluribus differentem *Lightfootum Cent: Geogr: Matth: præm. c. 100.* Quibus ædificium quoddam imponebant, quod super terram aliquantum prominens totum sepulcrum includebat, Ebræis *שדאי* adpellatum, vid: *Pocockius Not: Miscell: p. 73. 85. Vitringa Obs: Sacr: L. I. Disp. III. c. 5. §. 7. 8. p. 209. 210.* Quoniam autem ii, qui Christo resurgente vitæ sunt restituti, sancti homines & sine dubio prophetæ fuere, quorum monumenta sive diruta, sive diuturnitate temporis collapsa, a Judæis solícite admodum restaurabantur. *Matth. XXIII. 27. 29.* facile licet conjicere hoc terræ motu factò, petris scissis, ædificiis collapsis, lapidibus orificium speluncarum occludentibus excussis, sepulcra fuisse aperta. Istiusmodi enim vim terræ motum exerere, experientia comprobavit; ita *Grotius* exempla profert ex *Aristide* cum in insula *Rhodo* terra vehementi motu, concuteretur: *μνήματα*, inquit *ἀνεπρήγυντο monumenta disrupta sunt.* Et paulo post: *ἔξω μὲν τὰ μνήματα ἀνέρεπτε τὰς κειμένους mortuos quidem sepulcris excussit.* At vero cum nonnumquam integræ regiones titubent, imò ex imis fundamentis urbes revelantur; nonnumquam vero exiguus terræ tractus tantum concutiatur, vicinis nihil de

motu nisi fama inaudientibus ; Non injuria
 quæri potest, num etiam hic terræ motus ex-
 tra Judæam in aliis regionibus fuerit observa-
 tus ? Id liquet ex *Eusebio* deliquio solis, quod
Phlegon in *Aegypto* tempore plenilunii impe-
 rante *Tiberio* observavit, junctum fuisse terræ
 motum, qui in urbe *Nicæa* plures aedes subver-
 tisse dicitur. (a) Quo cum consentiunt *Ta-*
citus & *Plinius*, qui sub imperio *Tiberii* aliquot
 urbes

(a) Fuere quidem, quibus testimonium *Phlegontis* non
 plane rem conficere visum est, & inter eos *Gerb. Job.*
Vossius, nec non *Keplerus*, insignis *Astronomus*. Sed
 dubiis eorum a *Viris* aliis accurate responsum est, in-
 ter quos memorare juvat, *Huetium* *Dem. Evang.*
Propos. III. §. 8. 9. & operose non mi-
 nus ac docte pro more hanc rem pertractantem *Al-*
phenium *Theologum* *Ultrajectinum* vernaculo in *Da-*
nielis caput *IX.* commentario p. 427. sqq. Notatu
 autem hic non indignum erit, obscuracionem *Solis* a-
 liquando etiam secundum naturalem causarum ordi-
 nem cum vehementi terræ motu sæpe conjunctam
 fuisse. *Plinius* *Hist. Nat. lib. II. c. 82.* *Maximi* autem
motus existunt matutini, vespertinique : sed propinqua
 luce crebri : interdum autem circa meridiem. Fiunt &
Solis *Lunæque* defectu, quoniam tempestates tunc so-
 piuntur. *Pollio* in *Gallieno* : *Gallieno* & *Faustino*
Coss. inter tot bellicas clades etiam terræ motus gravissi-
 mus fuit, & tenebræ per multos dies. *Xiphilinus* in
Tito : Et postea siccitates diræ, & motus derepente
 vehementes fuere, ita ut solum illud omne, quate-
 retur, & promontoria subsilirent, sonitusque alii
 subterranei tonitruis similes, alii terrestres mugi-
 tibus non absimiles accidebant, & mare fremebat,
 & coelum tonabat, & ex hoc sonitus inauspi-
 catus, repentinus, quasi montes simul caderent, auditus

urbes Asiae terrae motu subrutas esse memoria prodiderunt. Cum autem Sospitator noster hoc ipso rerum potiente cruci est suffixus, a probabili ratione non abludit, hunc ipsum esse terrae motum, ejus Evangelistae mentionem faciunt. An vero eadem illae sint scissurae, quas in saxo non procul a loco crucis peregrinantibus ostendunt, qui loca sacra colunt majori jure dubitati potest; imo solertissimus *Maundrell* ex accurata earum inspectione observat, naturae potius lusui, quam terrae motui adscribendas esse.

Zz 3

S. 3.

Et exsiliabant primum quidem lapides ingentes, ita ut ad ipsa cacumina pervenirent, deinde multus ignis & funus infinitus, ita, ut omnis aer obumbraretur, totus Sol absconderetur, quasi deficeret. Nox igitur de die, & tenebrae ex luce factae sunt, & putabant alii gigantes exsurgere, multa enim tum spectra in fumo apparebant & quae sq. Pausanias Achaic. lib. VII. Solem obscuratum inter praevia terrae motus signa numerat Lib. VII. Et alias quidem, quoties labes hujusmodi aliqua insignior facta est, quae terram longe lateque concusserit, praecesserunt certa quaedam divinitus rerum miracula, perpetui imbres, diuturnae siccitates, tepidae hyemes: καὶ ἐν θεσει μετὰ ἀχλύος μαῖλον ὁ κύκλος παρέχεται τῆ ἡλίου τὴν χεῖραν παρὰ τὸ εἶωθός, ἤτοι ἐς τὸ ἐρυθρότερον, ἢ καὶ ἡσυχῇ τρέπουσιν ἐς τὸ μελάντερον i. & aestate anni, Solis orbis vel caligine obductus, vel incensus rutilo, vel subatro lividus fuit colore. Adde Aristotelem causas hujus rei examinantem lib. II. Meteorolog. c. 8. Cabeum lib. 2. Meteorol. text. 49. aliosque. F. A. L.

§. 3. Ut autem extraordinaria naturæ Opera Dei potentiam ac liberrimam voluntatem efficiendi, quidquid velit, luculenter demonstrant, ita nonnunquam eventus quosdam similes præsignificant. Quod ipsum etiam gentiles in terræ motu observasse liquet, namque bello *Bæotios* inter atque *Argivos* exorto, cum *Agesipolis* imperator Deorum monitu inducias ab *Argivis* oblatas adspernaretur, jamque copias suas in Argivorum terram immitteret, terra est succussa. Quod *Agesipolis* ita est interpretatus: *Ἐὶ μὲν μέλλοντι αὐτῷ ἐμβάλλειν σείσειε, κωλύειν αὖ αὐτὸν ἡγήτο; ἐπεὶ δὲ ἐμβεβληκίτη ἐπιχελεύει νομίζει* si quidem terram movisset, cum copias introduciurus esset, se existimare ipsum prohibiturum; sed cum jam immissa sint, incitari *Xenophon Hist. Græc. Lib. IV. p. m. 417.* Ad quem locum nihil est, quod moneamus, nisi causam illius motus adscribi Deo sc. *Neptuno*, cui etiam die insequente sacra fecisse auctor tradit. Quod nisi ex antiquorum Philosophorum placitis evolvatur, primo conspectu ambiguum videri potest. Hæc quippe *Thaletis Milesii* fuit sententia, terram aquis innatare, quibus agitata ac commotis, non minus terram tremere ac navis in fluido mari hinc inde fluctuat, de quo vide sis prolixius differentem *Senecam Quæst. nat. L. VI. cap. 6.* Quoniam vero *Neptunus* maris Deus habetur, effectus hic ab iis qui Philosophiam mythicam sectantur, *Neptuno* tribuitur; quæ causa etiam

etiam est, quod a Poëtis ἐννοήσασθαι & σεισ-
 χθονος subinde vocitetur. Ita pariter jam du-
 dum viris doctis est observatum terræ mo-
 tum magnas rerum mutationes portendere.
 Quod igitur spectat terræ motum, qui Christo
 in cruce decedente contigit, eo significaba-
 tur partim ira justissimi Numinis Ps. XVIII. 8.
 in rebelles Judæos ob cædem filii sui conci-
 tatam, partim majestas ac divinitas illius, qui
 a fratribus suis adeo male habebatur. Ut
 enim in hujus nativitate signum datum ex
 alto pariter ac profundo Jes. VII. 11. sic quo-
 que ipsa natura in ejusdem morte de divini-
 tate ejus ac Dei veracitate, ipsum sc. esse
 verum Deum ac promissum Messiam, est te-
 stata. Sol obscurabatur, terra concutieba-
 tur. Illo autem motu quo terra non treme-
 bat solum, verum etiam dehiscebat, demon-
 strabatur (α) Christum vitæ ac omnis bea-
 titatis causam claustra mortis ac sepulcri re-
 cluisse, ut, qui in eum credunt, omnipoten-
 ti numinis voce suo tempore sepulcris suis
 certo certius sint excitandi Jo. V. 28. (β) Fuit
 anteambulo majorum eventuum ac judicio-
 rum, quæ adnuntiationem Evangelii sunt
 consecuta Hagg. II. 7 8. Non minor animo-
 rum motus eam excipiebat Matth. X. 14. sqq.
 Gentes sedibus suis quasi emotæ, inque agrum
 ecclesiæ sunt translata, Judæi contra, Hie-
 rosolymis cum integra regione Romanorum
 armis victricibus funditus quasi excisis ac

confumtis, patria ejecti, per omnem terram, qua late patet, sunt dispersi.

§. 4. His jam sepulcris, apertis *πάλα σώματα τῶν κεκοιμημένων αἰγίων ἠγέρθη*; Vocem *κοιμᾶσθαι* ad imitationem *מָוַת* sensu translato in scriptis N. T. & item Ebraizantium *mori*, sive *diem suum obire* sæpe significare, omni dubio caret. Sic, Joh. XI. 11. *Δάζαρ* ὁ φίλος ἡμῶν *κεκοίμηται*, quæ verba Christus, ut discipulis suis omnem scrupulum eximeret, postea verbis propriis explicat v. 14. *Δάζαρ* ἀπέθανε Conf. Act. VII. 60. XIII. 36. I. Cor. VII. 39. XI. 30. & sic passim in aliis locis. Nec tamen quod *Caninius* disquisit, c. XII. & ex ipso *Glasius* Philol. S. L. I. Tr. II. Sect. II. cap. 3. p. m. 149. volunt, hæc locutio ex Ebræorum idiotismis unice est derivanda; namque haut raro apud Græcos eadem recurrit. Quod licet *Vorstius* adversus *Pfochenium* L. I. cap. VI. de Ebraismis N. T. disputans concedat negat tamen ea significatione apud Græcos qui soluta oratione scripsissent occurrere; ineptum vero esse dicere, omnes metaphoras quibus Poëtæ utuntur posse & in prosa oratione & in vulgari quidem ac familiari significatione usurpari, scriptorum vero ecclesiasticorum, quales etiam sint, rationem haberi non posse. Postremum equidem utrisque, quod ajunt, manibus largimur, quia hi suam *ῥησιν* ad scripta N. T. & Ebraizantium hinc inde flectunt; sed propterea negare non licet,

in

in scriptis profaïcis Græcorum eo sensu occurrere. Possemus huic labori supersedere, posteaquam *Horatius Virringa* ad paternas virtutes cum tempore adsurrecturus, si fata si-
vissent, in *animadversionibus ad Vorstium* p. 219. 220. illud abunde evicit. Addemus tamen & nos unum atque alterum locum, qui nobis inter legendum succurrit. Ita *Xenophon* comparisonem inter somnum atque mortem instituens, ἐγγύπερον μὲν inquit τῷ ἀνθρώπινῳ θανάτῳ ἔδ' ἐν ἔσιν ὕπνῳ nihil est similius somno, quam mors hominis. *Κυριακίδ :* L. VIII. Nec scio, an clarius quidquam desiderari possit eo, quod *Phur-
nutus* habet : *Τινες δὲ τῶν ποιητῶν Ἀκμονῶν αὐτὸν εἶναι υἱὸν τοῦ ἀτμητοῦ τῆς περιφερείας ἀνπιτιτῶμενοι. ἢ ὑπολαβόντες ὅτι ἀφ' ἧς ἐστὶ τῆς περισῶσης διὰ τῆς ἐτυμολογίας. κεκμηκέναι NB. γὰρ λέγομεν πε-
λευτηκόπης. Quidam Poëtae tradiderunt cælum esse *Acmonis* filium, volentes per id motum ejus irrequietum significare. Sive cum cælum crederent æternum, nullique corruptioni obnoxium, ejus incorruptibilitatem per istam nominis etymologiam ostendere adfectarunt. Dicimus namque *κεκμηκέναι*, i. e. opus suum perfecisse, seu telam suam absolvisse & quiescere, quotquot fato functi sunt de nat. Deor. p. m. 2. Edit. Angl. Subjungo testimonium *Homeri* :*

καὶ οἱ ὑπενέρθε κάμοντες

Ἄνθρωπος τίνυθεν,

Quanquam judice *Vorstio*, Poëtae hic punctum non ferant; id saltim inde efficere possumus,

vocem κοιμᾶσθαι eo sensu acceptam optimæ esse Græcitat̄is: imo ne quidem vox significationem impropriam induere potest, nisi quædam convenientia inter propriam & impropriam intercedat. Licet non negem, scriptoribus sacris eo sensu magis familiarem esse, quam profanis, quia illis doctrina de mortuorum resurrectione perspecta fuit, quam gentiles plane ignorabant. Tamen etiam hoc certum est, aliquando primo sensu occurrere in iis scriptis, quæ post tempora Christi & Apostolorum in lucem prodierunt. Ita Syrus interpres שכבי עם דכרי *congrredientes cum masculis* 1. Cor. VI. 9. coll. 1. Tim. I. 10. Videtur autem Matthæus hac locutione digitum intendisse ad verba Danielis cap. XII. 2. ורבים משני ארמח עפר יקיצו & *multi dormientium ex terrae pulvere evigilabunt*, quæ verba Græcus ita reddidit: καὶ πολλοὶ τῶν καθευδόντων ἐν γῆς χώματι ἐξεγερθήσονται. His ita disceptatis, hoc mihi videre videor, mortuos κεκοιμημένους scriptoribus sacris dici (1) quia somnus est quædam mortis imago & mors nil nisi profundus somnus, quare etiam a profanis scriptoribus hæc raro κασίγνητος *soror mortis* adpellatur. Ad eummodum in rem nostram Athenagoras: παρ' ἣν αἰτίαν οἶμαι πνῆς ἀδελφὸν τῆ θανάτου τὸν ὕπνον ὀνομάζουσιν, ἕχ' ὡς ἐκ τῶν αὐτῶν προγόνων, ἢ πατέρων φύντας γενεαλογῶντες, ἀλλ' ὡς τῶν ὁμοίων παθῶν, τοῖς τε θανάτοι καὶ τοῖς ὕπνοι ἐγγινομένων *quia de causa existimo, non-*
nul-

nullos somnum fratrem mortis adpellare, non quod genus indicare velint, quasi ex iisdem majoribus & parentibus sint nati: sed quod similia accidant sopitis & defunctis, de resurr. mort. p. 132. 134. edit. Lips. (2) Quia mortui aliquando ineluctabili Dei potentia ex morte vitæ sunt restituendi, quod æque facile est ipsi, ac dormientem quempiam somno profundo excutere.

§. 5. Optimo hinc jure poterat, hos sanctos scriptor sacer κεκοιμημένους adpellare; siquidem profundo mortis somno exciti post resurrectionem Christi vitæ fuerunt restituti. Nec id factum in obscuro, sed multis adparere vivi, quo de veritate resurrectionis Christi certius convincerentur. Namque εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς. Per urbem sanctam Hierosolyma intelliguntur vid. Matth. IV. 5. Eo ipso nomine Matthæus urbem indigitat, quo durante Oeconomia vetere fuerat insignita Neh. XI. 18. Jes. XLVIII. 2. quam ob rem etiam siclis hæc verba sunt inscripta Ἱερουσαλὴμ. Dicta autem est urbs sancta, non sanctitate interna, sed externa potius & relativa; quoniam sanctissimum numen signum visibile gratiosæ suæ præsentia in templo constituerat. Namque loca illa fere sancta adpellantur, in quibus aliquando Deus sub externo symbolo viris divinis comparuit Ex. III. 5. Jos. V. 15. coll. Gen. XXVIII. 17. quare mons iste, cui templi

pli moles inædificata שן קרר *mons sanctitatis* adpellatur Dan. IX. 16. Quoniam vero templum secundum isto splendore gloriæ divinæ minus corruscabat ; hanc denominationem non nisi sensu diluto admodum ac populari fere sustinere potest ; potissimum quando Christus Sospitator in carne nostra ἐσκήνωσε ac figuras veteris Oeconomiae abolevit. Nisi quis dicat , sanctam dici, ob semen sanctum in urbe adhuc dum residuum, ex quo populus Dei in lætam segetem erat progerminaturus Rom. XI. 16. 28. In eam igitur quam jam descripsimus urbem, *sancti hi sunt ingresi.* Unde constat, Judæorum sepulcra, si forte regum monumenta excipias, extra urbem fuisse Marc. V. 2. 14. Luc. VII. 16. Joh. XI. 31. Namque magistri tradunt, neminem Hierosolymis sepultum fuisse præter domum Davidis & prophetissam Huldam, cujus mentio est 2. Reg. XXII. 14. sqq. Quod ipsum etiam apud Græcos usu invaluit ; illos tantum intra urbium mœnia terræ mandantes, qui propter bonum publicum succubuerant, de quo vide sis *Nicolai* lib. de luctu Græcorum cap. XII. §. 3. Apud Romanos legibus XII. tabularum cautum erat, ne quis in urbe sepeliatur, vel uratur. *Adrianus* Imp. prohibuit, ne in ulla imperii urbe mortui sepelirentur, ratione subjuncta ne sanctū municipiorum jus violetur, vel ut *Paulus Jctus*, ne funestentur sacra civitatis. *Varro* L. V. de L. L. testatur, sepulcra secundum
viam

viam fuisse, quæ prætereuntes admonerent & se fuisse & illos esse mortuos. Nec ratio illos destituit, qui consuetudinem hancce primitus invexerunt; nihil quidquam est amplius negotii cum viventibus, illis qui per mortem viventium numero eximuntur, nam non qui mortui sunt *laudabunt Dominum, neque quicunque descendunt in locum silentii* Pl. CXV. 18. Imo dubitare quis posset, annon vapores noxii ex mortuorum cadaveribus egredientes aërem inficiant ac viventibus damnum adferant & aquæ per istiusmodi terrarum meatus permeantes, aliquid foetoris reconditi secum trahant.

§. 6. Posteaquam igitur sensum litteralem quantum pro instituti ratione fieri potuit, evolvimus; proximum est, ut inquiramus, quo tempore sancti illi vivis fuerint restituti? Equidem ingenue fateamur oportet ex verbis Matthæi definiri vix posse, quo temporis articulo illud præcise contigerit, hujus quippe verba *exitum* potius *e sepulcro*, quam *sanctorum vivificationem* spectant. Haut tamen e re nostra fore arbitramur, ut secundum fidei ἀναλογίαν ex scripturarum παραλληλία pie meditemur, quo potissimum tempore illud factum esse cuiquam videri posset. Communis fere sententia est, Christo jamjam exspirante terram horrendo motu concussam, sepulcra aperta & plurium sanctorum corpora vitæ restituta, qui tamen sepulcris suis non exivissent prius, quam Christus ἀπαρχὴ τῶν
 κε-

κεκοιμημένων sepulcrum suum reliquerit. Ita enim Cl. Momma Oecom. L. III. c. 6. §. 88. p. m. 269. *excitata sunt, inquit illorum (sanctorum) corpora, quum moribundus fere exhalaret Jesus. Imo & in illorum gratiam aperta sunt monumenta, quæ aperta sunt. Tamen e monumentis non sunt egressi, nisi post ἐγερσιν αὐτοῦ resurrectionem Christi.* Quæ sententia non solum plurimis recentiorum Theologorum arrisit, verum etiam antiquorum ecclesiæ doctorum Origenis, Chrysostomi & Hieronymi calculum meruit.

§. 7. Sed vero liceat mihi pace tantorum Virorum, quid de ea sentiam breviter exponere. Non equidem nego, quod docti illi viri passim contendunt, hoc miraculo apertorum sepulcrorum vim mortis Christi luculenter demonstratam fuisse ipsum sc. διὰ τὴν θανάτου καταργήσαι τὸν τὸ κρείττος ἔχοντα τὸ θανάτου ἴσπερ τὸν διάβολον Ebr. II. 14. Non tamen omnino adparet, Christo vivis excedente monumenta aperta, sanctorumq; corpora excitata fuisse I. Quia propter Christum resurgentem credentes excitantur; eo enim caput efferente, fieri minus potest, ut credentes vera membra corporis ipsius mystici in sepulcris remaneant conf. Rom. VIII. 11. Eph. II. 5. 6. Col. II. 12. Nec obstat, quod dicitur Christum morte sua abolevisse eum, qui habebat vim mortis, quippe tum demum Christus est dicendus vim mortis destruxisse, quando omne genus mor-
tis

tis tulit ac ferendo sustulit. Quando igitur Deo ipsum derelinquente, i. e. quando propter negatam præsentis Deitatis operationem jucundissimam illam suavitatem ac ineffabilem beatitatem ex unione personali resultantem immensum pondus iræ divinæ ac diram vim potestatis infernalis intus in anima sua persensit, dici potest robur mortis qualiscumque peccatum sustulisse. At vero quod maxime videbatur prævalere potestas infernalis tum, quando Sponsor, quod ad calcaneum a Satana commersus Gen. III. 15. debebat stimulum mortis effringere & hostem in ultimas latebras atque refugia persequi; quare per aliquod temporis spatium morti debebat succumbere, quo vim ejusdem superaret ac sepulcra credentium sanctificaret. Quamdiu igitur Christus se morti nondum subjecerat, potestas Satanae, quæ lege subnixa 1. Cor. XV. 56. & captivitas justi Jes. XLIX. 24. non omnino erat destructa.

§. 8. Sed regerat quis, plures in vitam fuisse revocatos prius, quam Christus morte sua mortem destruxit, aut resurrectione vitam æternam promeruit; sic Elias filium viduæ Sareptanæ 1. Reg. XVII. 17. sqq. Elisæus natum Sunamitidis 2. Reg. IV. 32. sqq. eques Syrus ossa Elisæi contingens revixit 2. Reg. XIII. 20. 21. Christus resuscitavit filiolum Jairi Matth. IX. 25. Marc. V. 42. Luc. VIII. 54. 55. filium viduæ Nainiticæ Luc. VII. 14. 15.

Lazarum Joh. XI. 43. 44. Equidem generatim responderi potest factum hoc esse (α) vi satisfactionis Christi sponsoris certi ac minus fallacis retroactæ, qua etiam ipse πολλὰς ὕμνας εἰς δόξαν ἤγαγε Ebr. II. 10. cum tamen per passiones nondum esset consummatus. Sed vero, quod rem nostram propius attingit (β) nullus eorum fuit excitatus, cujus partes omnes in pulverem atque cineres jamdum fuerint solutæ. Lazarus sine dubio omnium diutissime mortis furores est expertus, ad quartum usque diem in sepulcro detentus Joh. XI. 39. Corporis compages nondum erat soluta, membra adhuc firmiter cohærebant, partes solidiores ejus nondum erant exesæ, nec caro noxiis humoribus ac aëre ambiente in putrem materiam redacta. Quando igitur hæ vitæ sunt redditi, non ad æternam sed temporalem, non spiritualem sed animale[m] sunt revocati: quare etiam post resurrectionem suam iterum ederunt ac biberunt, & aliis actionibus animalibus sunt defuncti. Imo, quidquid etiam conjiciant alii, illos ipsos in cœlum vivos fuisse receptos, mihi dubium non est, quin posteaquam per aliquod temporis spatium vitæ renovata sunt gavisi, denuo mortem obierint. Unicum exemplum Mo-
 sis, quem cum Elia Christo in monte adparuisse divina revelatione constat Matth. XVII. 3. Marc. IX. 4. Luc. IX. 30. adsertioni nostræ refragari videtur, cujus corpus ex pulvere
 ter-

terre excitari ac animæ beatæ conjungi debuit. Verum nostrum non est magnas Theologorum lites de corpore Mosis componere. A veritate ac scripturarum ἀναλογία minus abluere videtur, statuere, animam Mosis cælo devocatam non proprio, sed alieno corpore adparuisse, quod munere suo peracto in elementa sua rursus sit dissolutum. Elegancia sunt hanc in rem Cl. Lipsiensium Theologi Gottofredi Olearii, nihil incommodum, inquit, saltem ego habere existimem, si Mosis animam hic adparuisse dicam, eo modo quo sancti angeli, ubi visum fuerit Deo, manifestantur, ex quorum adparendi modo de Mosis quoque adparitione ista tutissime statui existimem. Obs. ad Matth. p. 486. Quod cum ita sit (γ) mortui isti non ideo excitati, ut in cælestem ac intermorum nunquam beatitudinem non ita diu post transferrentur, verum potius, ut hoc miraculo sanctorum vatum ac Christi ipsius auctoritas atque divina missio comprobaretur vid. 1. Reg. XVII, 24. Luc. VII, 16. 18. Joh. XI, 15. 40. sqq.

§. 9. II. Quia Christus est ἀπαρχὴ τῶν κοιμημένων 1. Cor. XV. 20. ὅς ἐστιν ἀρχὴ πρωτότητος ἐκ τῶν νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων Col, I. 18. ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν Apoc. I. 5. oportebat igitur primitias in sanctuarium inferri prius, quam tota messis sanctificaretur. Quod vero eos spectat, qui a Christo, aliisque viris sanctis in vitam sunt revocati,

hi ne utiquam ad vitam immortalem fuerunt excitati; eo quod vis peccati, quæ residet in membris, per mortem temporalem nondum erat destructa. Iis igitur stupenda Dei potentia ad nutum sanctorum virorum iterum excitatis, *animalem*, non vero *spiritualem* vitam vivere denuo cœperunt. Ast *οὐρ' ἔνευ αἵμα βασιλείαν Θεῶ κληρονόμησαι ἔδύνανται* I. Cor. XV. 50. Non est igitur dubium, quin homines isti secundo fuerint mortui. III. Non est probabilis ratio, sanctorum istorum corpora in ipso mortis Domini articulo in vitam revocata, sepulcris suis non exivisse prius, quam Christus dominus mortis vincula perruperit. Quid enim, num extra consortium & Dei & angelorum & spirituum consummatorum inter foetores ac squalores sepulcrorum per triduum fuerint adservati? & cui fini, cui commodo mora ista inservierit, cum operum suorum rationes sapientissimæ Deo constant? Excitati sunt, ut adparerent, prius igitur quam adparuerunt, exsurrexisse, vehementer dubito.

§. 10. Ab hac sententia paullulum sunt diversi illi, qui conjiciunt, Christo in cruce exspirante, monumenta ilico fuisse aperta, nec minus sanctos in vitam revocatos, non tamen in sepulcris Christi resurrectionem expectavisse, sed iis relictis exivisse, non tamen urbem sanctam ingressos esse prius, quam Christus ex sepulcro suo in dias luminis auras prodierit.

dierit. Explicatio innititur interpretatione Syri, qui omiffis verbis ἐν τῶν μνημείων ex superiori versu ἀπο κοινῶς repetitis & inserta particula copulativa, verba Matthæi ita legit ונפקו ובתר קימתה עלו למדינתא קדישתא ואתחוו לסניאא Ⲅ exiverunt, Ⲅ post resurrectionem ipsius ingressi sunt in urbem sanctam Ⲅ visi sunt multis. Quam explicationem tanti fecit Cel. de Dieu ut hoc nomine Syro publice gratias agat. Verum (1) mutat Syrus verba Evangelistæ contra constantem codicum Græcorum lectionem & remoto suo loco intercisionis signo, alium sensum verbis infert, nam secundum Græcum sanctorum ex sepulcris exitus non illigatur tempori sepulcrorum apertorum, verum resurrectionis Christi (2.) lisdem premitur difficultatibus quarum §. 9. n. II. mentionem iniecimus.

§. 11. Existimo igitur quæ v. 52. narrantur copulativa voce καὶ proxime cum v. 53. cohæ- rere & quæ illic recensentur post resurrecti- onem Christi contigisse. Ea autem per πρὸ- λαβὴν continua serie ab historico enarrari, quo uno obtutu quisque conspiceret miracula, quæ Christi mortem fuere consecuta. Istius- modi autem figuram in stilo historico haut infrequentem esse Glassius Philol: Sacr. L. IV. Tr. II. Obs: XXVIII. p. m. 592. pluribus exem- plis probatum dedit. Nec aliter verba cura- tius inspicienti videri potest, namque α.) πο- στρεμα hujus pericopæ verba μετὰ τὴν ἔγερσιν

αὐτῶν εἰσῆλθον εἰς τὴν ἀγίαν πόλιν, καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς non nisi post resurrectionem Christi sunt referenda nisi quis cum *Glyca ac Arabe* μετα τὴν ἐγερσιν αὐτῶν sc: Sanctorum legere velit β.) His verbis quasi per parenthesis interjectis a v. 54. ea pertexere pergit, quæ post mortem Christi contingere. Quod ita se habere jamdum Venerandus *Beza* judiciose observavit. Et quid impedit dicere, sepulcra sanctorum non priori illo σεισμῷ, qui mortem Christi proxime sequebatur, aperta sed posteriori, quo terra est concussa, quando angelus cælo descendens lapidem sepulcro Christi amovit Matth: XXVIII. 2. quo magis adpareret in ipsa resurrectione Christi, mortem esse abolitam, vitam vero ἁ incorruptibilitatem illuxisse II. Tim, I. 10.

§. 12. Sancti autem isti post resurrectionem Christi Hierosolymam fuerunt ingressi. Cujus rei rationem hanc fuisse arbitror; Judæis ea tum temporis sedit opinio, fore, ut sub adventu Messiaë Sancti quidam e sepulcris excitentur. Constat enim duplicem ab iis statui resurrectionem, particularem aliam in diebus Messiaë, aliam universalem in fine mundi. In priori dicunt, quosdam excitatum iri, esuros, bibituros, uxores ducturos. Num vero illi statim ex hoc mundo in cælestem gloriam, sint transferendi, an vero iterum morituri, ac in universali resurrectione excitandi, non consentiunt. Quam sententiam

tiam potissimum ex Dan: XII. ac aliis scriptura-
 ra locis se hausisse testantur. Ita enim *Aben*
Efra שהצדיקים שמתו בגלות יחיו בבוא הגואל
 כי אליהם כתוב כימי עץ ימי עמי ואז
 יתענגו בלוייהן ובזיו ובבהמות רמותו פעם
 שגית וחיו בתחירת המתים בהיותם בעולם
 הבא שאינם אוכלים ושותים רק נהנים מזיו
 שכינך *Justos qui mortui sunt in captivitate re-*
victuros cum advenerit redemptor, cum de illis scri-
ptum sit, sicut dies arboris dies populi mei ac tunc
ex Leviathane & ave. Ziz & Behemot deli-
cias capturos ac rursus victuros in resurrectione
mortuorum, cum erunt in seculo futuro, ubi nec
comedent, nec bibent, sed splendore majestatis di-
vina fruuntur. Talmudicorum testimonia,
quæ Lightfootus produxit, non adscribo. A me
tamen impetrare non possum, quin adjungam
elegantissima verba, quæ Cl: Gravius Spicil:
Patr. T. I. p. 362. ex Bereschit Rabba excitavit.
Incepit Deus pacisce cum Messia, dixitque ei, Mes-
sia mi juste, isti, qui sunt repositi apud te, pecca-
tis suis inducent te in seculum grave. Oculi tui non
videbunt lucem, aures autem tue audient oppro-
brium magnum populorum mundi: nasus tuus odo-
rabitur fœtorem: os tuum gustabit amaritudines,
 & lingua tua adharebit palato tuo, ossa vero cuti
 & extenuabitur corpus tuum in luctu & gemitu.
 Estne voluntas tua in eis? Nam si tu suscipis, bene
 quidem; Sin minus, ecce ego nunc ea abjiciam.
 Dixit coram eo (Messias) Domine seculi in hoc
 ego letus sum, ac suscipio super me tribulationes

istas sub hac conditione, ut resuscites mortuos in diebus meis, & quidem eos qui mortui sunt a primo Adamo usque nunc, cetera. Non solum vero mortuos in diebus Messiae revicturos, verum etiam ipsius potentia excitandos. Futurum est, ut nasci faciat (Messias) omnes dormientes in pulvere. Dixit R. Nachmon: dormientes in pulvere sunt mortui, sicut dictum est: Et multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere cetera. *Midrasch Tillim* in Ps, XCIII. 2. Plura qui scire cupit, adeat ex Judæis R. *Menassen Ben Israël* de resurrect: mort: L. III. c. 2. ex nostris *Pocockium* de resurrect: mort: ex Judæorum sententia Not: *Miscell: cap: VI.* Quidam eo audaciæ processerunt, ut definire sustinerint, quinam præ ceteris sint excitandi, præstantissimos sc. Israëlitarum *Noam, Abrahamum, Isaacum, Jacobum*, alios, in hoc mundo vita corporea victuros, unaque cum illis Judæos omnes esuros, bibituros & uxores ducturos. Quid de hac sententia, quæ procul dubio inter Christianos *Chiliasmo* ortum præbuit, sit existimandum, nostrum jam non est definire. Illud notamus tantum, argumentum inde, si non invictum, saltem καὶ ἀν-
Σωτων, ut ajunt, pro veritate resurrectionis Christi Jesu Nazareni & quod ille verus ac promissus sit Messias de umi posse. Christus quippe prædixerat futurum, ut post triduum in vitam sit revocandus Matth: XXVII. 63. 64. Conspectis igitur sanctis istis in urbe
 Hie.

Hierosolymitana facile convinci potuerunt: *Jesum Nazarenum, quo cum sancti essent excitati, verum esse Messiam a prophetis promissum, & hujus dies jamdum advenisse.*

§. 13. Ex quibus haut difficulter conjicere licet, sanctos hosce non credentibus solis, quod *Grotius* existimat, verum etiam Judæis reliquis adparuisse; quippe Christo stantum discipulis ac credentibus, quo de veritate resurrectionis suæ certius convincerentur, se vivum stitit, quod ex historia evangelica liquet & *Paullus* 1. Cor. XV. 5-7. Ipeciatim enarrat. Quoniam vero hic juxta prædictionem *Matth.* XXIII. 39. justis ac sapientibus de causis post resurrectionem suam se Judæis minus conspiciendum dedit; ne illi de novo sævitiam ac crudelitatem suam adversus ipsum exercerent, sicque peccatum suum aggravarent, suamque conditionem intolerabiliorem redderent; a veritate non abludit, sanctos hosce homines a quibusdam ex Judæis, quo & illi de resurrectionis Christi veritate certiores redderentur, fuisse conspectos. Namque omnino e re Christi & regni ipsius erat, quo hæc veritas, qua omnis Christianorum religio nititur, quibus modo poterat, manifestaretur. Quæ causa etiam fuit, quod *Hierosolymam* non aliam urbem Judææ sunt ingressi; quod heic loci de rebus gestis Jesu Nazareni plus constabat, quam aliis in locis atque terris. Præterea populus undique lo-

eorum ad pascha concelebrandum eo conve-
nerat. Igitur hujus rei veritas ad omnem
populum facilius poterat emanare, quo λαίμα
μα καὶ ἐκλογὴν χαίματος Rom: XI. 5. ad futu-
ram conversionem præpararetur, refractarii
vero ἀναπολόγητοι constituerentur.

§. 14. Tandem quæritur, num sancti hi per-
acto officio suo iterum ad pulverem redi-
erint, in universali mortuorum omnium resur-
rectione denuo resuscitandi? an vero moram
aliquam traxerint in his terris & postea cum
Christo in cœlum fuerint adsumti? E veteribus
equidem constat fuisse plures, qui statuerunt
iterum mortuos esse, quos inter potissimum no-
minandus *Theophylactus*. Ex recentioribus Cl.
Wittichius non alienum a veritate fore existi-
mat, si quis dicat, mortem iterum subisse, quod
etiam Deo sine ullo dolore facile fuisset præstare.
Exerc: Theol: de Christo humili & alto §. 72.
p. m. 236. Equidem lubentissime fatemur,
quæstionem istius generis esse, ut conceptis
verbis scripturæ alterutrius certa ac indubia
demonstratio minus dari queat; Sed tamen ut
res in his comparata, tutissimum est id elige-
re, quod veritati quam proxime accedit ac
cum aliis sapientiæ cœlestis capitibus quam fa-
cillime componi potest. Observamus igitur a)
mortem credentium eo tantum spectare, quo
id quod residuum est ex peccato, omnino de-
struatur ac opus gratiæ divinæ in ipsis con-
summetur. Quod cum factum fuerit in san-
ctis

Etis illis; excitati enim ex pulvere terræ, post-
 equam omnes partes solutæ ac destructæ:
 probabile non est, iterum mortuos fuisse. β.)
 Non convenit rationibus justitiæ pariter ac
 sapientiæ divinæ, ut quos & anima &
 corpore ineffabili gaudio repleverat, hos
 iterum potestati mortis subjiceret. γ.) Debe-
 bant credentes certo quodam ac indubio pi-
 gnore confirmari ipsum consummatissimum
 Servatorem ea omnia præstiturum, quæ ab ip-
 so jure quodam præstolari poterant; ipsum
 sc. *ultimum hostem mortem aboliturum* 1. Cor.
 XV. 26. *Et mortem Et infernum coniectum iri in*
stagnum ardens Apoc. XX. 14. Quod certe cla-
 rius ac vividius ipsorum animis ingerere se
 non poterat, quam si carnem suam, si fratrum
 suorum primos ac præstantissimos in cœlestem
 gloriam receptos ac beatitudinem sibi & cre-
 dentibus omnibus præparatam præcipere cer-
 to scirent. Quare nulli dubitamus, quin
 sanctos hos tanquam *αεχνηος* salutis
 nostræ in gloriam intro-
 duxerit.

FRID. AD. LAMPE,
TRIGA QUAE-
STIONUM,

Quæ circa miraculum sanctorum
resurgentium, juxta observata a Do-
ctissimo dissertationis præcedentis
authore, moveri possunt.

I.

Quinam fuerint illi sancti, quorum
corpora resurrexerunt?

PArum certi, nec tamen plane nihil re-
sponderi potest. Quid regesserint alii,
videatur apud Commentatores & præ-
ter eos apud WINKLERUM Thesauri
Theol. Philol., qui in supplementum
Bibliorum Criticorum est editus, Tom. II. p.
981. 982. Mihi sententia hæc sedet, ad veri-
similitudinem illos accedere quam proxime,
qui censent, sanctos hosce ex illorum fuisse
numero, qui non tantum prope pomœria Hiero-
solyimorum sepulti sunt, sed etiam paullo
ante hæc tempora diem suum obierunt, quo-
rumque sanctitas apud cives Hierosolymita-
nos & palam nota & in recenti fuit memo-
ria

ria. Sententiam hanc calculo suo approbaverunt COMARINUS disput. de bis mortuis th. 5. p. 177. & Cel. CLERICUS ad h.l. Argumentum, quo utuntur, inde est petatum, cum hi adhuc de facie noti essent civibus urbis sanctæ, testimonium eorum eo efficacius ad persuadendum fuisse. Consequentiam quidem hanc Bernh. RAUPACH in Decade Observ. Sacr. ex Patribus Apostolicis Obs. 1. eo nomine infringi censet, quod discipuli Mosen & Eliam Servatori glorificato præsentibus Matth. XVII. 3. 4. agnoverint. Sed diversa heic obtinet ratio. Nec enim tantum discipuli præsentibus Magistro gaudebant, qui eos erudire de apparentium personis poterat, ac colloquia Mosis & Eliæ cum Jesu audiebant, unde, quinam hi sancti essent, collectu in promptu erat, sed & historia Evangelica discrete hæc nomina expressit. Silentium autem in nostro loco singulare conjecturæ nostræ robur conciliat. Enimvero sancti hi aut ex numero Patriarcharum Prophetarumve fuere quorum sacræ paginæ conservarunt memoriam, aut non fuere. Si fuissent, Spiritus Sanctus verosimiliter nomina eorum addidisset, ut alias adsolet. Probabile ergo est non fuisse. Si vero non fuere ex illorum Sanctorum numero, quos testimonio scripturæ cognoscere poterant Judæi, procul dubio tales fuere, quos propria experientia cognoverunt, alias pro meris eos phasmatibus habuissent, nec apparitio eorum ponderosum aliquod ad convin-

vincendum habuisset momentum. Videtur alicujus momenti esse testimonium, quod RAUPACHUS ex IGNATII ad Magnesios Epistola profert, in qua perhibetur, Prophetas a Christo esse resuscitados. Si vere hoc scripsisset Vir Apostolicus, cui cum Johanne Apostolo familiare fuit commercium, non temere fides ejus sollicitanda esset. Sed tantos, Ignatianæ Epistolæ quæ dicuntur, nactæ sunt adversarios, DALLÆUM, SALMASIUM, LARROQUANUM, BASNAGIUM, aliosque, gravissimo rationum pondere *νοθείας* earum demonstrantes, ut nihil inde opinio nostra vereatur detrimenti.

II.

Cur Matthæus miracula terræ motus & resurrectionis sanctorum eodem tenore conjungat?

Per prolepsin Evangelistam posterius miraculum miraculis, quæ tempore obitus Christi contigerunt, jungere, Cl. MICHAELIS evictum dedit. Sed quænam istius anticipationis est ratio? Mihi quidem videtur I. rem ipsam huic conjunctioni ansam dedisse, nempe quia per terræ motum, qui circa tempus mortis Christi accidit, monumenta sanctorum aperta fuere. Quare etiam minus arridet, quod Cl. MICHAELIS §. II. sepulchrorum aperturam non per hunc terræ motum, sed per sequen-

quentem, qui tempore resurrectionis Christi ortus est, effectam esse censet. Sane si modum, quo uterque σεισμός ab Evangelista describitur, conferamus, priorem posteriori multo vehementiorem fuisse colligimus. Fissio certe petrarum, quæ proxima erat monumentorum apertorum causa, non posteriori sed soli priori terræ commotioni jungitur. II. Sed latet etiam alia causa, quia id, quod hæc miracula portendebant, singularem nexum inter se habebat, qui per hanc miraculorum conjunctionem non temere institutam est adumbratus. Atque inde tertia prodit quæstio.

III.

Quid miracula hæc significaverint?

Significativam miraculorum a Deo in Oeconomia gratiæ productorum vim, utpote a multis Theologis, & a nobis ipsis alias evictam, heic supponimus. Idem de hisce, quibus Jehova Filium suum in ipsa morte glorificare voluit, censemus. Idque eo magis, quia prophetia ad talia miracula collimat, & phrases ab iis mutuatur, quando effecta mortis & resurrectionis Christi describit: uti ex ipsa collatione patebit. Attendamus igitur I. ad miracula ipsa II. ad eorum nexum.

Miracula ipsa imagines diversarum rerum tum presentium tum futurarum erant.

Quoad presentem rerum statum terræ motus
 signum

signum erat terribile hostibus Christi, & testabatur de ira Dei contra perfidiam Judæorum concepta, qui hoc pacto terram ipsam in testimonium contra Judæos ciebat, & declarabat, dignos esse, qui vivi terra absorberentur, uti olim Korachus cum seditiosis sacerdotum Aharonis impugnantibus, quia contra summum Sacerdotem Jesum Christum surrexerant, eumque a terra eliminaverant. *Terræ motus* enim est iræ divinæ in sacris symbolum Nahum. I. 5. 6. quo etiam referri potest terræ motus in temporibus Utiæ Amos. I. 1. Zach. XIV. 5. quem ex JOSEPHO discimus tum accidisse, cum rex iste templum ingressus, Deo suffitum facturus, lepra est percussus, Antiq. lib. IX. c. 11. Idem gentilibus persuasum. Lacedæmoniis & Atheniensibus terræ motus religioni ac terrori fuisse commemorat PAUSANIAS Lib. III. p. m. 168. & 172. editionis Wechelianaë. Unde SENECA in Troad.

*Cum subito cæco terra mugitu fremens
Concussa cæcos traxit ex imo sonos
Movere sylvæ capita & excelsum nemus
Fragore vasto tonuit - -*

Hinc quando terræ motus contingerat, Romani studiose supplicationibus, indictis feriis, lustrationibusque Deos placare solebant, de quo conferri possunt Alex. AB ALEXANDRO dier. gen. Lib. V. c. 27. in fine, & ad

ad eum in notis TIRAQUELLUS : LOME-
 JERUS de Iustrat. Vet. c. X. &c. Sed faustius erat
 augurium *resurrectionis sanctorum*. Eo enim
 significabatur morte & resurrectione Christi
 mortem esse abolitam, & viam per mortem
 ad vitam patere : Christum factum esse ἀπαρ-
 χήν τῶν νεκροῦμένων I. Cor. XV. 20. idque non
 tantum eorum, qui in futurum morituri
 erant, sed etiam, qui antea sub Oecono-
 mia vetere obdormiverant Hebr. II. 10.
 IX. 15.

Sed & futurorum eventuum eadem hæc
 miracula typus erant. Gentiles olim *terrae*
motus pro magnarum rerum præludiis habe-
 bant. CICERO lib. I. de Divinat. *Cum terræ*
saepe fremitus, saepe mugitus, saepe motus multa
praedixerint. PLINIUS Hist. Nat. lib. II. cap.
 84 in fine : *Nusquam urbs Roma tremuit, ut non*
futuri eventus alicujus id praenuntium esset. Mul-
 to majori jure id in nostrum hoc portentum
 quadrat, quod viva effigies severi judicii Ju-
 daeis imminentis fuit. Hoc enim non tan-
 tum tremor montis Sinai, quando lex daba-
 tur, præfiguravit, sed etiam Prophetæ sub
 simbolo violentæ concussionis terræ prædi-
 xerunt Deut. XXXII. 22. Psalm XVIII. 8.
 Hagg. II. 7. 22. coll. Hebr. XII. 26. Et si cui vo-
 lupte est, per partes instituere comparisonem,
*illi commotio terræ figurabit abolitionem to-
 tius*

tius Oeconomiae Veteris, & sigillatim percussionem Canaanis, quae terra Immanuelis haecenus fuerat, anathemate: *fissio petrarum*, fatale & ferale, quo *παινολαθεία* est promota, primorum gentis Judaicae dissidium: *apertura* denique sepulchrorum, dominii legis, quod *carcer*, *cisterna sine aqua*, *vallis umbrae mortis* erat *Jes. LXI. 61. Zach. IX. 11. Jes. IX. 2.* deletionem.

Ex opposito *resuscitatio sanctorum* expressit tum liberationem (populi Dei, qui haecenus sub lege fuit *φρασεως* Gal. III. 23. (a) tum mysticam Patriarcharum & Prophetarum in Apostolis & credentibus ex Judaeis resurrectionem. In iis sane rediere *Abrahamus*, *Isaacus* & *Jacobus*, ut in regno caelorum cum iis gentes ab Oriente & Occidente accumberent *Matth. VIII. 11.* rediit *parvus Benjamin*, cum principibus *Jude*, *Zebulonis* & *Naphthali* *Pf. LXVIII. 28.* rediit *Abrahamus*, ut per eos fieret *heres mundi* *Rom. IV. 13.* *Hi ingressi sunt urbem vere sanctam*, caelestes *Hierosolymas*, testimonioque resurrectionis Domini & virtutum splendore *conspicui evasere.*

Qualis autem inter ipsa miracula, talis inter

(a) Vivificatio sane in saecris libertationis ex captivitate, angustisque quibuscunque symbolum est *Deut. XXXII. 39. I. Sam. II. 6. Pf. LXVIII. 21. CXVI. 8. Jes. XXVI. 19. Apoc. XX. 4. 6. &c.* Metaphoram in ipsis *Perfarum* & *Aegyptiorum* Onirocriticis occurrere docet *Morus Mylter. Iniq. l. I. c. 8. Opp. Th. p. m. 612.*

ter eos, quibus prælusere, eventus fuit con-
 nexio. Resurrectio sanctorum, licet Christo
 resurgente acciderit, cum historia mortis ejus
 jure connectitur, quia mors ejus & propriæ
 & beatæ sanctorum resuscitationis causa fuit
 meritoria. Jungitur præterea terræ motui,
 auspiciatissimum omen diro & terribili, cum
 prius miraculum viva corpora sub ruinis pe-
 trarum sepeliret, posterius mortua vitæ red-
 deret; quia duplex hic effectus mortis Domi-
 nicæ, mors hostium crucis ejus & vita
 credentium in regno Messia, sub an-
 nuntiatione mortis ejus, pari semper passu
 ambulant. Ex innumeris locis confer Ps. II.
 12. LXIX. 23. sq. coll. cum 33. 34. Luc. II.
 34. 1. Cor. I. 18. 23. 24. 2. Cor. II. 16. Quin-
 quemadmodum terræ concussio liberam ape-
 ruit corporibus sanctorum prodeundi ex tene-
 brosis claustris & Hierosolymas intrandi viam,
 ita per judicium Dei in refractarios Judæos, to-
 tiusque politiæ eorum everisionem plenissima
 sanctis novi Testamenti libertas, lætitiæque
 spiritualis consummatio, quæ vitam fidelium
 perfectam reddunt, sunt acquisita &
 stabilita.

INVISIBILIA DEI in rebus ab ipso factis FACTA VISIBILIA contra Spinofam cum confectario pacifico inter Cll. Viros DRIESSENIUM & WITTICHIUM & multiplici analogia naturæ spiritualis & corporeæ &c. nec non CURRUS GLORIAE Ezech. I. X. & THEATRUM APOCALYPTICUM c. IV. V. & NUMERUS BESTIAE Apoc. XIII. 18. denique SARON ET ACHOR JES. LXV. 10. Hof. II. 17. Authore HENRICO HORCHIO Eschvvega-Haffo. Marpurgi Cattorum 1719. 4. plag. 15.

Mentionem libri hujus aliquam supra Cl. II. Fasc. VI. p. 1101. injecimus, cum primas tantum ejus plagulas inspicere licuisset. Integrum interea opus beneficio Authoris ad nos curatum est, quod cum multas observationes haut proletarias in se contineat, quædam ex eo excerpere e re putavimus.

Prima dissertatio de invisibilibus Dei inchoatur ab examine prætensi axiomatis Spinofiti.

stici : quæ res nihil inter se commune habent , e-
 arum una alterius causa esse non potest , & liquido
 ostendit , quomodo totum systema Spinosæ
 huic effato superstructum sit. Cumque Spino-
 sa eo tendat , ut admissa hac propositione eli-
 ciatur , mentem & corpus esse res nihil com-
 mune inter se habentes , ideoque Deum , si
 eum concipias ut mentem infinitam , non pos-
 se unquam esse corporis conditorem , contra
 eum probare suscipit , *hanc illis intercedere com-
 munionem , ut universum hoc corporeum illius tan-
 quam Archetypi , crassum licet sit ectypoma , in quo
 invisibilia ille sua ita expressit , ut facta inde sint
 quasi visibilia ei , qui debitam adhibet vōnsiv.* Cum
 vero hujus hypotheseos loco citato jam ali-
 quam injecerimus mentionem , demonstratio
 autem ejus ita sit comparata , ut in nexu ar-
 gumentorum legi ac perpendi mereatur , quæ
 integra exscribere nec spatium nec institutum
 nostrum patitur , huic themati amplius inhæ-
 rere superfedemus.

Dissertationi huic p. 30. sq. subnectitur mul-
 tiplex analogia naturæ spiritualis & corpo-
 reæ , quæ ex libro Cl. Authoris , quem AR-
 CHETYPUM inscripsit , in compendium mit-
 tuntur. Juvat quædam hujus analogiæ ex-
 empla producere. Nulla nempe est cogita-
 tio , quæ non comprehendat infinitam cogita-
 tionum seriem. Nulla quoque materiæ pars
 est , quæ non complectatur infinitam partium
 seriem , in quas illa sit divisibilis. Major ana-

logia conspicua est in materiae motu. Id enim motus est in corpore, quod voluntas in mente. Sicut voluntas Dei est principium omnium ejus actionum, ita omnes naturae effectus, formae & qualitates, quae mundi hujus pulchritudinem faciunt, motum pro causa agnoscunt. Velut quilibet voluntatis motus necessario infert intimum sui sensum, ita quilibet motus vel minimae corporis particulae necessario importat peculiarem sibi figuram. Quemadmodum motus directio tendit ad lineam rectam, quam etiam reapse describit, nisi quid obstet, ita divina mens in omnibus operibus suis recta est, unde & rectum fecit hominem. Uti vero nulla linea adeo curva concipi potest, quin aliquid adhuc participet de recta, imo ex meris rectis, quantumvis parvis, ut non nisi punctorum rationem habeant ad integram, sit conflata, ita homo factus ad imaginem Dei, nunquam tamen eo usque recedere potest, ut in ipso illius quantumvis enormi vitio non reperiatur aliqua imitatio Dei, & ut *Augustinus* loquitur, *tenebrosa ejus similitudo*. Quoad continuationem motus, movetur corpus, quamdiu non impeditur aliunde, in infinitum: ubi videmus aliquem constantiae & immutabilitatis Dei characterem, Porro motus corporis semper tendit ad interiora alterius, cum corpora ad motum impulsu hujus semper sint indolis, ut affectent, mole etiam sua, penetrare alia quoad intimum suae molis, etiamsi ea nunquam ita valeant penetra-

re. Qui loquendi modus improprius quidem est & a natura spiritali ad corpoream translatus, (quod enim ibi est *velle, wollen*, hic est *moveri, agitari, wullen*) attamen naturæ rei exprimendæ adeo aptus, ut ne quidem Philosophi, qui mentis & corporis functiones discernunt solícite, ab eo sibi queant temperare, loquentes jugiter de corporum *nisu & conatu*, licet irritó & in actum non deducto. Frustra tamen hoc non facit natura, sed suam prodit originem, Deum repræsentans, cujus infinitæ perfectiones per naturam intime & perfectissime unum sunt.

His aliisque ad analogiam operationum mentis & corporis spectantibus in medium prolatis atque elucidatis, corollarii loco mundum aspectabilem non tantum repræsentamen Dei in natura verum etiam in œconomia salutis esse p. 38, adeoque convenire apprime cum illo, qui *εἰκὼν* est imago invisibilis Dei, docetur. Sicut enim huic Filio Dei demonstranti gratiam erga pios & simul iram contra impios duo competunt regna, gratiæ & iræ, lucis & tenebrarum; ita regni lucis & gratiæ symbolum est *lux* mundi aspectabilis cum omnibus ejus qualitatibus jucundis, regni vero tenebrarum & iræ emblemata sunt *tenebræ* omnesque adeo qualitates molestæ ac naturæ hominis adversæ. Ex qua observatione luculentum tum pro divinitate; Codicis, tum pro veritate religionis Christianæ, quæ utraque

librum naturæ hoc pacto habent consentientem, elici posse existimatur.

Uti vero in recensita dissertatione acumen philosophicum, ita in sequentibus potentiam in verbo prophetico (qualitates rarissime conjunctas) Cl. Author probat. *Currum Ezechielis* in tabella quadam secundum suam hypothesin delineavit, variisque observationibus mathematicis ac scripturariis p. 40. sq. illustravit, quæ quamvis concisæ, machinæ huic admirabili lucem non exiguam conciliant. De voce *שׁוּן* inter Interpretes tam vexata p. 46. censet, quod designet corpus natura sua pellucidum, quale vel *crystallum* est, vel *succinum*, quod & *glessum* dicitur, unde nostrum *Glasz*. Placet vero præ *crystallo succinum*, id nempe, quod *χευσιζον* & *χευσιλεκτηρον* vocatur, ob aureum colorem, adeo ut in visionem Ezechielis, qui Chasmal hoc emergere videbat ex turbine Aquilonari, quadret illud Elihu ad Jobum c. XXXVII. 21. 22. In mysterium vero visi hujus inquirens p. 47. sq. tam *Seraphim* Jesaiæ, quam *Cherubim* Ezechielis angelos fuisse censet. Quod vero non obesse ait, quo minus pro typis ministrorum Ecclesiæ Christianæ sint habendi. Per *rotas* intelligit stelliferos cœlorum orbis: qui subjacent Angelis quoad regimen illud, quod Ecclesiam spectatim spectat, quemadmodum humani corporis machina subjecta est imperio mentis, & Viris Dei data fuit potestas miracula patrandi

trandi circa terram, aquam, aërem, ignem, imo ipsa adeo cœli sidera, Solem & Lunam. *Currum* vero ad regnum Christi, qui ipse est *Dominus gloriae* ei insidens, transfert.

Corollarium hujus exercitationis exhibet monitum circa figuram animalium p. 54. sq. Cum enim juxta Cosmographos facies corporis nostri respicere soleat septentrionem, a tergo habens meridiem, a dextra Orientem, a sinistra occidentem, sapientissimus rerum conditor in sacris literis hunc hominis situm, ut faciem convertat ad orientem & sic porro. Quam ob causam oriens in lingua sancta dicitur קדים & קדים i. ante Gen. II. 8. XI. 2. Ez. XL. 10. & mare mortuum, quod Palæstinæ orientale est, *anterius* Ez. XLVII. 18. mediterraneum vero, quod illi est occidentale, אחרון posterius Deut. XI. 24. XXXIV. 2. Meridies vocatur תימן a ימין *dextra* Job IX. 6. &c. unde Septentrioni relinquitur sinistra Gen. XIV. 15. Jos. XIX. 27. Ezech. XVI. 46. Hujus moris rationes mysticæ adduntur & causa additur, cur in viso Ezechielis idem situs præferri debeat. Qua occasione pericopæ propheticæ obscurissimæ Zach. XIV. 1. sq. fax accenditur.

Succedit visum huic valde confine, theatrum nimirum Apocalypticum cap. IV. V. &c. Johanni exhibitum, cujus facies p. 57. sq. delineatur, & cum structura sanctuarii studiose confertur. Subjicitur ingeniosa em-

blematum explicatio, in qua inter alia *mare vitreum* docetur locum maris ænei in templo occupasse. Et quando Johannes id vidit tanquam igne mixtum, monetur, mare æneum vicinum fuisse altari holocausti, ita ut hostiarum flammis collustratum ignis speciem reddiderit. Symbolum autem id esse perhibetur regni Christi in gloriosa pace, post absorptas victimas infernales, quæ ob spretum veri nominis altare nullum postmodo aliud habent, quam gehennam ignis. Quatuor animalia heic pro emblematis hominum & speciatim vigilum Ecclesiæ Christianæ habentur, quod variis argumentis, atque collato feliciter loco Jes. LXII. 8. 9. evincitur. Per XXIV. vero presbyteros sancti V. T. ad cœlestem gloriam translati intelliguntur. In fine brevis septem sigillorum exegesis subjicitur.

Pedem promovemus ad sequens de numero Apocalyptico 666. meletema p. 71. sq. In antecessum monetur per *numerum hominis*, ex indole linguæ Hebrææ, intelligendum esse *humanum*, h. e. ejusdem generis cum illis numeris, quibus homines utuntur. Unde concluditur, numerum illum a Spiritu sancto datum secundum leges Arithmeticæ in sua principia esse resolvendum, quod triplici ratione potest peragi, vel dividendo eum solitarie spectatum, vel extrahendo illius radicem, vel denique dividendo illum & oppositum

144000. (qui est numerus comitum Agni Apoc. XIV. 1.) unum per alterum vel illius radicem. Modus primus a Cl. Authore pro simplicissimo declaratur & cœterorum fundamento: quare illum tantum proferemus, præcipue quia ei peculiaris est, cum alter a *Francisco Pottero* singulari libello, tertius a *Job. Coccejo* nostro jam in medium sint prolati.

Divisionem ergo numeri Apocalyptici secundum valorem literarum χ, ξ, ς institutum esse statuitur, quæ designant 600. 60. 6. sicut & alii codices plene habent $\epsilon\chi\alpha\kappa\omicron\sigma\iota\omicron\iota, \epsilon\chi\eta\kappa\omicron\nu\tau\alpha, \epsilon\xi$. Hinc diviso medio termino 60. per ultimum 6. quotus est 10. Qua ratione innotescunt factores medii termini 60. nimirum 6. & 10. utpote, qui in se invicem ducti, denuo sistunt 60. Diviso dein maximo termino 600. per medium 60. quotus pariter est 10. Sic menti se statim sistit proportio inter tres hosce terminos continua, eaque decupla & descendens a summo ad imum: quemadmodum enim 600. decies continet 60. sic 60. decies 6. Unde ordine concinno perpendendæ veniunt quatuor hæ quæstiones: Cur Bestia signetur *senario*? Cur *triplici senario*? Cur illius numerus *decupla* proportione sit conspicuus? Cur denique termini hujus proportionis non crescant, sed potius *decrecant*, ita ut primus sit 600. secundus 60. tertius 6?

Ad *primum* respondetur, Bestiam Antichristianam gerere numerum *senarium* a sexto

capite vulnerato, quod in illa tanquam septimo capite est redivivum, ejusque genium declarat, quod scilicet regnum illius in fundo rei sit ethnicum ad modum Imperii gentilis, quod tempore Johannis obtinebat, juxta institutionem Angeli dicentis: *Quinque ceciderunt, Reges, Consules, Decemviri, Tribuni, Dictatores, & unus est, Imperator gentilis, & alius nondum venit* septimus Rex, qui non est ex numero capitum blasphemiae, (inter capita enim blasphemia & Reges bene distinguendum) Constantinus cum successoribus, & *quando venerit, paululum oportet ipsum manere*, ab anno 312. usque ad 475. quo abdicatus Augustulus. Et interjectus hic septimus Rex est, qui vulnus lethale inflixit capiti & Regi sexto, Imperio gentili, unde videtur Draco, qui illud animabat, thronum & potentiam suam magnam dedit septimo capiti, in quo sextum revixit, & Draco, nomine Christi larvatus, in Bestia Antichristiana denuo est adoratus. Accedit, quod in sextam mundi chiliadem incidit regni Bestiae fastigium & decrementum.

Ad *secundum* notatur, quod Imperium Romanum sit Bestia quarta, ex tribus prioribus, quorum symbola sunt *leo, ursus & pardus*, tam quoad eorum regionem quam indolem, conflata Apoc. XIII. 2. coll. Dan. VII. Licet vero senarius speciatim conveniat Bestiae, de qua hic nobis sermo, habita nimirum ratione capitum:

pitum : id tamen non obesse existimatur, quo minus omnium communis sit character alio respectu, quatenus nimirum bestiae originem suam debent sexto creationis diei, in quarum numero censentur, qui instar bestiarum rapacium sunt erga populum Dei, nec compotes fiunt sanctae & beatae illius quietis, quae septenario est insignita.

Tertium ζήτημα resolvitur ex typo imaginis Babylonicæ, quae lata erat cubitos 6, & alta cubitos 60. Dan. III. 1. unde eadem proportione exurgit maximus numeri nostri terminus 600. ut appareat, novam Babylonem bestialitate superare veterem, sicuti & reliquas bestias Dan. VII. 7. quo pertinet idololatria, veri licet numinis & sanctorum nomine incrustata, nec minus tyrannis, quam exercet in illos, qui Deum adorant in Spiritu & veritate. Facit vero senarii cum denario copula ad innuendum illius connubium cum denis suis regibus, congruenter statuæ Nebucadnezari per somnium visæ, quae digitos pedum habebat decem testaceo-ferreos Dan. II. 33. & capiti Bestiæ decem cornibus horrido Apoc. XIII. 1. XVII. 3.

Ad *quartam* quæstionem observatur, per numeri decrementum significari gradum Bestiæ triplicem, summum, medium & imum. Summus, nempe 600. dum usurpavit potestatem regia majorem, h. e. in ipsos adeo decem reges sibi copulatos, ut centenarius, qui
in

in 6. ductus facit 600. denarii major est gradus. Medius est 60. dum Bestia decem reges sibi habet addictos & in se quasi ductos, ut 10. ducti in 6. faciunt 60. Imus denique est 6. quando illa a regibus suis erit desolata, ut sola sibi sit & nuda, non secus ac senarius a denario sejunctus Apoc. XVII. 16. Quæ ita conferuntur cum historia, ut primus gradus figatur in Gregorio VII. bestia sedem Anno 1073. occupante, alter in tempore Reformationis, quando Papatus a 600. præceptus est in 60. donec porro tempore suo a 60. deturbetur in 6. eadem proportione, quæ utrobique est ut 10. ad 1.

Agmen claudit dissertatio de *Saron & valle Achor*, in quarum regionum typo commonstratur Palæstina florens & desolata, ut sedes Ecclesiæ Christianæ pristina secundum Jes. LXV. 10. & futura olim in novissimis juxta Hof. II. 17. Jes. XXXV. 2. Sed cum hæc jam ante annos aliquot lucem adspexerit, eam excerpere supersedemus. F. A. L.

JACOBI ELSNER,

Borussi,

Observatio in locum Col. I. 24.

§. 1.

Assentior Clarissimis Viris, qui superiore Fasciculo in hunc locum commentati sunt, θλίψεις τῆς Χριστοῦ afflictiones esse ob Christum subeundas, ut iis quidem temporibus Religionis Christianæ professio multas calamitates & certissima pericula secum trahebat 2. Tim. III. 12. Quo sensu hæc eadem phrasis occurrit Apoc. I. 9. Εγὼ Ἰωάννης ὁ καὶ ἀδελφὸς ὑμῶν καὶ συγκαιωνὸς ἘΝ Τῇ ΘΑΛΙΨΕΙ καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῆς ὑπομονῆς ἸΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ. hoc enim loco θλίψεις ἰησοῦ Χριστοῦ pariter est: afflictio propter Christum perferenda.

§. 2. Neque vero τοῖς ἕξω insolens est idem loquendi genus: ita enim Aristophanes *Nubibus* vs. 30. ubi Strepsiades ære alieno oppressus ita secum:

Ἀτὰρ τί χρέος ἔβα με μετὰ τὸν Πασίαν;
Sed quodnam aliud æs alienum urget me post Pasia debitum? Et ipse sibi respondet:

Τρεῖς μναὶ διφρίσκων καὶ τεροχοῖν Ἀμυνία.
Tres minæ currus ἔς rotarum Ἀμυνία, hic τρεῖς μναὶ διφρίσκων sunt tres minæ ob emtum currum pend-

denda. Et Isocrates *Panegyrico* pag. 172. Πολ-
λων οι πατερες ημων Μηδισμυ θανατον κατεγνωσαν,
multos Majores nostri ob Persarum studium capitis
damnarunt. Subaudiri in tali phrasi potest:
ενεκα, de cujus vocolæ ellipsi vide Grævium
Lectio. Hesiod. pag. 29. & Lamberti Bos El-
lipses.

§. 3. Verum in vocis ὑσερήματ^o expo-
sitione assentiri Viris illis Eruditissimis non
possum: nempe ὑσερημα agonisticum voca-
bulum h. l. esse existimant, & ad cursum re-
latum notare: *defectum cursus ut propositam me-
tam non attingas & tarditatem adventus.* Nam
etiamsi alibi ea huic vocabulo notio tribui pos-
set, quod tamen nondum probatum est, hic
vero non continuo admittenda foret, quod
ex nulla re apparet, ad certamina Græcorum
h. l. alludi: solum autem vocabulum ὑσερημα
id recte demonstrare non potest, ut pote quod
etiam aliam significationem satis commodam,
& memorata illa huic loco convenientio-
rem habet, igitur solum illud ὑσερημα in
causa esse non debet, ut de certaminibus Græ-
corum jure hic cogitet aliquis. Novi qui-
dem Jacobum Lydium doctum ceteroquin
Virum, ita fere instituere solere, & simulatque
vocabulum alicubi agonisticum fuisse ani-
madvertit, continuo ceteris, ubi præterea
occurrit, locis eandem illi notionem subji-
cere, sufficit idem vocabulum reperisse. At
vero male! nihil æque veræ Exegesecos re-
gulis

gulis repugnat, ut pote quæ eam vocis πολυ-
σήμης significationem eligere jubet, quam ne-
xus orationis, res ipsa & circumstantiæ reli-
quæ maxime requirunt.

§. 4. Deinde Philonis verba quæ pag. 227.
adducuntur, οἱ γὰρ Ἐφεδροὶ τῶν ἀγωνιστῶν ἐκ ἐλατ-
τέρων ταῖς προθυμίαις, χρόνῳ καὶ τῷ φθασθῆναι
μόνον ἰσχυρίζονται, ita vertenda esse putem: *Tertia-
rii aut subsidiarii ut Turnebus, animi quidem ala-
crite cupiditateque certandi ipsis certantibus non
cedunt, sed tempore duntaxat, & quod illi præcedant
sunt inferiores.* Εφεδροὶ enim in Re agonistica
non sunt qui assident agonistis; sed qui ceteris
paribus Athletarū sorte compositis supererant
soli in subsidiis, & ultimo cum victore con-
grediebantur, integri cum defessis, ut ver-
bis utar Joachimi Kuhnii magni Græcarum
literarum peritia Viri ad Pausaniam Eliac. poster.
cap. 1. p. 452. Eo respexit Aristophanes *Ranis*
v. 803. ubi Æacus Sophoclem Euripidi Ephed-
rum fore prædicit, si ille in certamine
Æschylum vicisset:

Νυνὶ δ' ἔμελλεν, ὡς ἔφη Κλειδημίδης
Εφεδρος καθεδεῖσθαι. Καὶν μὲν Διαγύλῳ κερτῆ
ἔξεν κατὰ χῶρον. εἰ δὲ μὴ, περὶ τῆς τέχνης
Διαγωνισθ' ἔφασκε πρὸς γ' Εὐεπίδην.

*Nunc vero, ut dixit Clidemides, Ut Ephedrus sede-
bit, loco suo, si vincat Æschylus, mansurus. Sin minus,
de artis palma certaturus cum Euripide. Ubi*

*scholia: Εφεδρος, ὁ μὴ πλανώμενος ἐν ταῖς ἀγῶ-
σιν,*

σιν, εἰς τὸ ἀγωνίζεσθαι τοῖς νικῶσι. Ephedrus est, qui non vagatur (sed tacitus sedet) in certamine, quia (usque dum) certat cum Victore. In his verbis, si aliquid mutandum est, ut suspicati ad hunc Aristophanis, locum sunt Ezechiel Spanhemius & Kusterus, τὸ πλανώμενος convertere vellem in παλαιών, ut sensus esset: Ephedrus est, qui non luctatur aliis certantibus, certaturus cum victore, quo pacto melius conveniet eum sequentibus verbis Scholiorum Sophoclis Spanhemio citatorum. Vide præterea de ephedro illustrem hunc Virum ad Callimachum p. 419. & Fabri Agonistica lib. 1. cap. 24. Sæpius autem Philo hanc vocem habet, vide Legat. ad Cajum p. 996. & de Josepho p. 545. 546. & alibi. Talis vero ephedrus mors credentium vocari posset, quod devictis reliquis hostibus postremo loco imminet victoribus, & tanquam postremus adversarius prosterneretur, vide 1. Cor. XV: 26.

§. 5. Mihi igitur ὑπέρημα h. l. nihil aliud est, quam quod adhuc deest ad justam Ἐ destinata mensuram, quæ significatio superiore Fasciculo probata est, ut proinde τὰ ὑπερήματα τῶν θλίψεων τῆ χριστοῦ sint afflictiones & molestiæ, quæ præter exantlatas Apostolo adhuc erant perferendæ ob Christum & ex voluntate Christi.


§. 6. Ἀναπληρῆν denique τὰ ὑπερήματα τῶν θλίψεων notare putem: explere, quod deest afflictionum. Perinde ut ἀναπληρῆν τὸ ὑπέρημα
Phil.

Phil. II. 30. ubi verba : ἵνα ἀναπληρώσῃ τὰ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρὸς με λειτουργίας significant : ut explet quod deerat officio aut ministerio vestro mihi debito. vide etiam 1. Cor. XVI. 17. Nam ἀναπληρῆν est explere, ut Gal. VI. 2. ἀναπληρῆν νόμον est explere legem; non vero, ut Cl. Triglandius in Fasciculo p. 221. exponebat, secunda vice addere, quod suppleat defectum rei vel temporis, quia scilicet ἀνά in compositione esset rursus, denuo. Nihil perinde fallit, quam ubi in Græca lingua vocibus compositis, singulis earum partibus seorsim consideratis, significatio tribuitur, quæ omnes partium notiones complecti debeat, ut vulgo quotidie facere solent. Non semper id Græci attendunt, & si alibi unquam in hac certe lingua usus est optimus magister. Sic ἀνά præfixum non semper verbis suis iterationis notionem adfert, ut in ἀναγράφειν, ἀναδιδόναι, ἀνασαυρῆν & sexcentis aliis satis apparet, vide de postremo verbo Lamberti Bos Observat. in Hebr. VI: 6.

§. 7. Ita vero simili phrasi Diodorus Siculus Lib. 3. Biblioth. p. 148. dixit : τὴν τῆς φύσεως ἔνδειαν ἀναπληρῆσι, quod nature deest explet. ut Plutarchus Numa p. 76. τοὺς ἐνδείας ἀναπληρῆντες. & Achilles Tatius Lib. 3. p. 185. τὸ ἔμπειρον παρὰ τοῖς στρατιώταις ἀνεπλήρη ἢ πλήθος τὸ ἐνδέεσ, quod militum numero deerat, usus explebat. Ἄν' ἀναπληρῆν autem idem mihi esse videtur, quod ἀναπληρῆν. De illo verbo ita Triglandius p. 220. vocabulum ἀναπληρῆν a-
 Class. III. Fasc. IV. Ccc p. 220

pu *nd* *nullum scriptorem cum ista compositione venit.*
Atqui venit apud Demosthenem de Classibus
p. 74. Τέτων δὲ τῶν συμμοριῶν ἐκάστην διελὲν κε-
κεύω εἰς πέντε μέρη κατὰ δώδεκα ἄνδρας, ἀντα-
ναπληρῆντας πρὸς τὸν εὐπωρώτατον αἰεὶ τὲς ἀπορω-
τώτας Earum porro classium singulas in quinas par-
tes dividi jubeo duodenarias adjectis locupletissimo
cuique tenuissimis, aut locupletissimorum numero te-
nuiissimis expleto. Idem paullo ante

ἀναπληρῆν dixerat.



IX.

WILHELMI, divina providentia
Archiepiscopi

CANTUARIENSIS

Epistola ad Ecclesiæ Reformatæ
Archipalatinæ antistites.

ILLUSTRES VIRI

Domini atque Fratres in Christo Dilectissimi.

Quod vos vestrasque Ecclesias nos Ar-
 chi-Episcopi atque Episcopi Eccle-
 siæ Anglicanæ, eo quo par est amo-
 re ac affectu prosequamur, & graves
 illas feralesque persecutiones, quas
 Justitiæ causa perpetimini, utpote ejusdem
 corporis membra, tanquam nobis ipsis illatas

&

& sentimus & ploramus, non tam beneficii loco reputandum quam debiti & vobis & Servatori nostro officii præstationem habendum judicamus. Sic igitur persuasi primam occasionem arripiendam censuimus, tum gratias nostras Regi nostro Christianissimo reddendi ob ea quæ jam dudum vobis in his angustiis vestris beneficia exhibuisset, tum etiam petendi, hortandi, eumque per miserationes atque viscera Jesu Christi supplicandi, ut Ecclesiarum vestrarum Patrocinium in se porro suscipere pergeret, easque à periculis quibus hoc tempore objiciuntur, liberari, atque in futurum conservari, quantum in se foret, procuraret. Atque hoc quidem Serenissimus Rex, absque aliqua difficultate, pie, prompte, alacriter concessit. Nos vero, ut intercessioni ejus in hac parte quantum potuimus ponderis adjiceremus, etiam ordines Regni tunc propediem in Parlamento congressuros in eadem nobiscum supplicatione conjungendos putavimus.

Hinc primo conventionis eorum die, cum gratiæ pro more Regiæ Majestati solenniter agenda essent, in consessu nobilium & Procerum Regni publicè proposuimus, & ab iis decerni unanimiter obtinuimus, ut etiam illustris ille cœtus (quo splendidiorem gravioremque sol nunquam vidit) pares nobiscum gratias eidem regiæ celsitudini pro sua erga vos benevolentia redderet, ipsumque ad Ju-

ra vestra tuenda, summa illa qua posset autho-
 ritate efficaciter induceret. Quid ex eo tem-
 pore, hac in re fecerit, Rex benignissimus
 supervacuum foret, vobis operose referre.
 Vos ipsi cognoscitis. Viennæ, Ratisbonæ,
 Heydelbergæ ubique res vestras strenue pro-
 secutus est. Neque prius desistet, quam o-
 mnia ad tenorem fœderis Westphalici fue-
 rint redacta, cujus speramus, ipsos magnæ
 Britannia Reges deinceps futuros astipulato-
 res pariter atque sponsores. Cum igitur eo
 tendant consilia nostra, ut non tantum in
 integrum restituantur, sed ut posthac illi-
 bata vobis posterisque vestris conserventur,
 cum majoris vestrae securitatis gratia ipsum
 Regem nostrum potentissimum in partem
 sponsionis de his fœdere Westphalico fa-
 ctæ assumendum fore confidimus, & ut assu-
 matur totis viribus nostris contendendum ju-
 dicamus, ne dubitetis, Viri Amplissimi, quin
 nos omnem nostram operam impendamus,
 ut vestris in hac parte expectationibus & de-
 sideriis satisfaciamus. Habetis hic Regem
 Clementissimum vobis causæque vestrae, ul-
 tra quam dici possit, faventem: ministros
 atque consiliarios ejus in commoda vestra se-
 rio intentos: Nobiles Principesque Regni pu-
 blicè pro vobis Majestatem Regiam depre-
 cantes, Episcopos persecutionibus vestris te-
 nerrime compatientes, & ad pacem vobis re-
 stituendam non tantum orationibus suis De-
 um

um efflagitantes, sed & junctis suis suffragiis Regis auxilium implorantes: de me ipso nihil adjiciam; id tantum vobis persuasissimum esse cupio, quod quid in me sit, vel authoritatis vel ponderis vestris utilitatibus diligenter impendam. Faxit summus ille Ecclesiæ Pastor atq; Episcopus, ut quæ in hoc tam justo tam pio tam necessario opere à nobis fient, felicem exitum fortiantur? utque his non vestris solum sed & aliorum passim reformatarum Ecclesiarum persecutionibus experrecti Principes Reformati, ea quæ ad communem omnium nostrorum salutem spectant, considerent & prosequantur! Romanensium erga nos omnes Religionis Evangelicæ Professores odium, plus quam Vatinianum, satis novimus. Jesuitarum audaciam atque perfidiam nimium experti sumus. Ipsius quem vocant summi Pontificis indignationem, superbiam, dominandi denique etiam in Principes libidinem, totus orbis Christianus nobiscum & agnoscit & horret. Vires tantum hisce omnibus defunt, quo minus primo quoque tempore ad nos omnes penitus absorbendos sese accingant. Quid restat, nisi ut in communem nostram defensionem tempestive coalescamus, nec patiamur, ut dum singulos adoriantur, universi vincamur?

Det Deus ut vel sic conjuncti Ecclesiarum nostrarum securitati satis provideamus! quas in rupem æternitatis fundatas ipse dominus

noſter Jeſus Chriſtus ſtatuminet ac conſervet,
nec permittat, ut portæ inferni aliquando
contra illas prævaleant. Hoc vovemus om-
nes. Ad hoc junctis viribus pariter con-
tendamus: Mutuo nos invicem cohortantes,
ut olim fratrem, militesque ſuos dux ille ma-
gnanimus Joabus cum à Syris atque Ammoni-
tis alienigenis ſimul impeteretur Iſraël Dei
2. Sam. X. 12. 1. Chron. XX. 13. Viriliter aga-
mus, & invaleſcamus, pro populo noſtro, &
pro civitatibus Dei noſtri, & Dominus faciat,
quod bonum in oculis ſuis.

*Viri ampliffimi, Spectatiſſimi,
Fratres in Chriſto colendiſſimi,*

Ex Ædibus noſtris
Lambethanis

Idibus Jan. An. 1720.
St. Noſtr. 1719.

*Confrater Veſter in Domino
dilectiſſimus*

W. Cant.

Memoria

FRANCISCI
BURMANNI, FILII.

Theologi Ultrajectini longe celeberrimi

excerpta ex oratione funebri Cl. Arnoldi Drakenburg, quam recitavit in Academia Trajectina a. d. 16. Octobr. 1719.

MAjores Burmannorum ex honesta ac splendida familia, quæ olim Colonia Agrippinæ mercaturam exercuit, ac primariæ huic Germaniæ civitati etiam Senatores dedit, ortum traxere. *Petrus* nostri avus, postquam tempore luctuosissimi belli, quo optima Germaniæ pars seculo superiore deflagavit, Frankenthalium in Palatinatu, cujus Ecclesiam rexerat, armis Hispanicis misere eversum vidisset, in Hollandiam profugus Embricensibus, deinde in Clivia a sacris fuit. Ex hoc *Petro* ejusque uxore *Josina Balde* natus est nostri Pater magnus ille *Franciscus*, qui, posteaquam diversis in locis functiones sacras obiens inclaruerat, summum Ultrajectinæ Academiae

demix decus & lumen intulit. Duxerat ille uxorem *Mariam*, Celeberrimi Abrahami *Heidani* filiam, nuptam antea *Dionysio Crucio*, Ecclesiastæ Neomagensi, qui ex ea sustulerat filiam *Saram* ac filium *Carolus Crucium*, Lugdunensium Consulem & egregium studiorum Meccœnatem. Ex eadem *Maria Burmannus* Pater filiam procreavit *Josinam*, quæ cœlebs obiit, & filios tres, *Petrum*, ingens illud Academiæ Lugdunensis atque elegantiorum literarum columen, *Abrahamum*, qui ante annos pubertatis decessit, *Franciscum* denique nostrum. Natus itaque hic Vir egregius est *Ultrajecti* d. 15. Maji A. 1671. Vix octavum annum attigerat, cum *Franciscum* Patrem, falsis, pro temporum eorum dicitate, malitiosorum calumniis vexatum & nimia studiorum assiduitate viribus exhaustum intempestiva mors rapuit. Tyrocinia studiorum *Ultrajecti* sub *Surendunkio* & cum ille *Amstelodamum* sedem suam transferret, *Alcmarix* sub *Vesalio Mobachio* absolvit. Quare *Ultrajectum* redux Celeberrimo *Grævio* se in disciplinam dedit, sub quo in *Latinæ* & *Græcæ* linguæ, in historiam atque omnis generis antiquitatum doctrinis tanta industria versatus est, ut *Grævius* jam tum publice animo præfago prædicaverit, se minime dubitare, quin olim ad culmen eruditionis patriæ & avitæ enisurus esset. *Lugdunum* dein *Batavorum* petiit, ut sub *Cl. Voldero*, philosophi & *Mathesin* excoleret, a quo etiam *Algebraicæ* scientiæ peritia tinctus est. *Trajectum* redux
Theol.

Theol. stadium exorsus *Hermanno Witsio*, sed imprimis *Hermanno Halenio* adhæsit. Franequeram dein transiens *Wajenum*, *Vitringam* & *Roëllium* præceptores habuit. Cumq; linguæ Hebrææ scientiam proprio Marte sibi felicissime comparasset, eandem una cum aliis Orientis dialectis & antiquitatum sacrarum studio sub *Cl. Rhenferdio* porro excoluit. Groningæ etiam per aliquod tempus *Braunium* audivit. Antequam verò curriculum studiorum absolveret, *Dordracum* se contulit, ut optimam concionandi methodum ductore *Cel. Tillio* perdisceret, a quo honorifice dimissus Amstelodami ad *Cl. Francium* se applicuit, ut ex ejus præceptis quicquid externum oratori sacro ornatum conciliare posset, hauriret. Paulo post ab ecclesia *Condumensi* in agro *Frisiæ*, quamvis nondum inter sacri ordinis candidatos receptus foret, expetitus, & ministerio ejus admotus est. In hoc secessu Amstelodamo *Rabinum* ad se evocavit & per aliquod tempus suis impensis aluit, ut in linguæ sacræ adyta profundius penetraret. Qua molestia perfunctus ad linguam Arabicam se applicuit, in qua, uti olim in Hebræa, ipse sibi magister exstitit. Triennio *Condumi* exacto, *Brielsenium* eum ad se evocantium precibus annuit, atque A. 1698. IV. Idus Octobris munus ecclesiasticum apud eos auspicator. Heic dum degeret, *Gulielmus III. Magnæ Britanniæ Rex* rebus humanis eximitur. Ordines *Belgii* fœderati legationem in *Angliam*, quæ *Annæ Reginæ* de successione gratularetur, decernunt.

Legatis a sacris domesticis ut esset, Burmannus adsciscitur. Ita ansa ei subnata est viris eruditis in Anglia innotescendi, & amicitiam cum iis contrahendi. Inter eos numerantur *Isaacus Newton*, *Thomas Smithus*, *Johannes Gregorius*, *Richardus Bentlejus*, *Gilbertus Burnetus*, *Johannes Morus*, *Ezechiel Spanhemius*, *Thomas Tennisonius*. Bibliothecas ejus urbis & præcipue Regiam, beneficio Bentleji, diligenter excussit. Cantabrigiam invisens familiaritatis vinculo junctus fuit *Whistonio* & *Josua Barnesio*. Hinc Oxonium profectus plurimum usus est *Wallisio*, octoginta & sex annorum sene, *Johanne Hudsonio*, *Johanne Millio* aliisque, quos ea urbs alebat, eruditis. Briellam rediens a Neomagensibus in Geldria & Enkhusanis in Hollandia certatim ambitur. Enkhusam autem prætulit, atque in hac urbe Prid. Jonas Julias A. 1703. muneris sui initium fecit. Heic matrimonio sibi junxit *Elisabetham Thierens* ex patricio apud Delphenes sanguine genus ducentem. Illa nostrum novies patrem fecit, unam filiam, octo filios enixa, quorum quatuor supersunt, *Johannes*, *Franciscus*, *Abrahamus* & *Petrus*. Nondum biennio in statione Enkhusana transacto Amstelodamum evocatur: Ubi per decem annos ecclesiastico munere cum singulari pietatis & prudentiæ laude defunctus ad cathedram Ultrajectinam exornandam una cum *Cel. Alphenio*, Collega suo, quem diu solamini Ecclesiæ superstitem esse Deus jubeat, deposcitur, ad quam provinciam 1715. quarto Kai-
len-

lendas Martias se accinxit. Inter virtutes eximias, quibus hanc spartam, uti & præcedentes omnes ornavit, rarissima fuit ejus diligentia. Temporius quidem inter nonam ac decimam cubitum concedere solebat, sed nunquam etiam sol lecto cubantem deprehendit. Hieme, multa adhuc nocte, hora quinta surgebat; æstate sub ortum lucis. Liberorum educationi nemo pater diligentius attendit, quibus post conjugis obitum, dum natu minimum pareret, defunctæ, tanto acriorem curam præstare debuit. Vitam tam probe actam mors vere Christiana honoravit. Septima iduum Septembris die gravi febre correptus est, quæ cum postridie intermittere videretur, insequenti die Dominica propositum concionis habendæ mutare noluit. Sed post horam prandii meditationi intentum febris rursus invadit. Nihilominus suggestum adscendens verba facere (in dictum I. Petr. I. 8.) adorsus est. Verum cum febris magis invalescentis violentia pedes paullatim officium facere abnuerent, reliquam orationis partem sedens pronuntiavit. Domum regressus febre continua laborare incepit, quæ cum omnem medicorum industriam falleret, & Noster summam vitæ diem instare intelligeret, liberis ad se evocatis ultima mandata dedit, eosque ardentissimis precibus gratiæ divinæ commendavit. Dehinc tota mente ad Deum conversus, delictorum veniam ac pacem efflagitare non antea desiit, quam beneficium illud sibi immerenti tributum esse certissimis

indiciis comperisset. Pulcherrima inter alia fuit declaratio, quam coram Cel. *Alpheno* & Reverendo *Braconiero*, paucis ante mortem horis edidit. Testabatur enim, si omnipotentis Dei aeternum Numen, ex cujus unius nutu & voluntate omnia pendent, contemplaretur, se quidem in summam admirationem abripi: sed si animo penderet, se vilem homiunctionem aeterni illius Numinis benevolentiae brevi participem fore, atque e terris evedctum caelestibus gaudiis fruiturum, tum plane se externari, neque sui ulterius compotem esse. Non temere autem se hac sibi beneficia vindicare, addebat; quoniam, intimis cordis recessibus diligenter perscrutatis, invenisset, se Deum ex animo semper reveritum fuisse, idque optimum Christiani ac Theologi ornamentum existimasse, si facta atque omnis vite ratio verbis convenirent; se quidem multis peccatis fuisse inquinatum; verum postquam omnia Deo confessus esset, non modo eorum veniam petiisse, sed etiam propter sanguinem Servatoris Christi impetrasse: huic uni se fiducia innisum, & tam insigni solatio sustentatum nullo mortis instantis metu perturbari, sed libentissime ac animo imperterrito caducam hanc vitam relinquere. Ita prae paratus beatam animam Deo reddidit X. Kal. Octobres, ante lucem, annos tantum XLVIII. natus. Syllabum scriptorum, quae abs eo edita sunt, Fasciculo hujus Classis primo p. 163. sq. accurate exhibuimus. An alia haecenus ἀνεκδοτα ex scriniis ejus sint exspectanda, & praecipue alter, cujus spem fecerat, Harmoniae Evangelicae Tomus, dissertationumque de poësi sacra continuatio, quamvis serio exoptemus, dicere tamen nobis integrum non est, F. A. L.